agnovit, nomen Christo cum suis dedit, & uxori ejus jam gra-
A vidæ apparuit in somnis Stephanus Protomartyr, prædicens
fore ut pareret filium, cui primò dignitas regia inter Hungaros
deberet, eique nomen imponeretur Stephano: & ita contigit,
ut præsignificavit. Is autem Stephanus, qui Sanctis adscriptus
est, vivens, & vita functus, innumeris est illustratus
miraculis, quæ si quis vult cognoscere, legat ejus vitam: nam
& mortui per eum revixere.

Sequentibus deinde temporibus cùm jam religio Christiana
in his regionibus egisset radices, & uberrimos ederet fructus,
sanctissimis ex omni parte virtis abundans, evenit, ut in Lithuaniam, & alia loca Lithuaniæ propinqua sese effunderet.
Exempli gratia, in Polonia supremis temporibus vitæ sanctimonia præstitit Stanislaus Episcop. Cracoviensis; Hedwigis
Ducissa, ut vocant, Rex ipse Cazimirus, & nobis multo his
vicinior Hiacinthus ex Ord. S. Dominici, qui peragrata Polonia, & Rhussia, multis miraculis hominum in divinarum rerum admirationem traxit: nam mortuos ad vitam revocavit,
cæcis nonnullis visum restituit, ægrotis innumeris sanitatem,
vita migravit anno millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, cùm paulò ante Mindacus Lithuaniæ Rex nomen
Christo dedisset, anno scilicet millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, à quo tamen posteà defecivit, donec anno millesimo tricentesimo octuagesimo sexto Jagello unà
B cum Lithuanis omnibus Christianæ religioni se iterùm reddidit, cujus è filio Cazimiro nepos Cazimirus obiit Vilnæ vitæ cœlestis sanctimonia illustrissimus, qui rei miracula verè
admiranda fidem maximam conciliarunt apud omnes, & in
primis apud Lithuanos. Obiit ille anno millesimo quatercentesimo octuagesimo quarto.

## IN TARTARIA.

Tartari sunt in confinibus Polonici regni, & plurimas superioribus sæculis provincias in suam potestatem redegerunt
in Asia, domitis Medis, Persis, Parthis, & aliis finitimis
nationibus, è patriis sedibus egressi. Horum nonnulli
Reges cum plurimis suorum nomen Christo variis temporibus dederunt.

Inter alios Cassanus, quem vocant alio nomine Mangucum
ducentis equitum millibus anno millesimo ducentesimo nonagesimo octavo Syriam cepit, Joanne Villanco illorum temporum scriptore, & Haitone Armeno testibus. Is Christo se
adjunxit hujusmodi occasione. Imperabat hic Tartaris universis Rex eorum supremus; cùmque audisset Armeniæ Regi esse
filiam pulcherrimam, petiit illam sibi uxorem dari. Haud potuit pater potentissimo omnium Regi postulata negare. Ad
C ducta ad illum puella brevi concepit, ac peperit filium, cui
facies erat adeò deformis, ut omnino monstrum videretur.
Habito suorum consilio Rex, indicavit, non ex se, sed ex adulterio prolem natam, ideòque matrem cum sobole flammis adjudicavit. Inops consilii, & innocens uxor ad Deum confugit, spatiumque sibi dari rogavit, quo confessione sacra, &
Eucharistiæ sacramento se adornaret, partumque baptismo
abluere posset. Annuit Princeps: ipsoque præsente, & populo universo, sacris aquis est immersus puer; dictuque mirum,
protinus illius effigies immutata, cunctisque cernentibus, &
demirantibus apparuit omnium venustissimus partus. Ea re
obstupefactus Cassanus cum populo ferè universo nomen
Christo dedit. *Hæc post alios Villaneus.*

## IN INDIA OCCIDENTALI.

Sed accedamus ad ea, quæ nostræ sunt ætati maximè propinqua. Avorum nostrorum memoria Christophorus Columbus Indias Occidentales aperuit nobis ante ignotas. In omni-
D bus earum locis hoc miraculum commune erat. Nam cùm
passim dæmones ederent responsa; ubi Eucharistiæ Sacramentum per nostros in aliquo loco reponebatur, continuò dæmones obmutescebant: & cum crebris terræ motibus terræ conquassarentur, & frequentibus etiam tempestatibus miserè deformarentur, nunc nostra religione suscepta non ita contingit. Hoc universis his regionibus commune. Speciatim verò accidit, ut Christophorus Columbus in insula, quam vocant Hispaniolam, sive S. Dominici, altissimam è ligno crucem defigeret. Indigenæ sæpiùs eam prosternere ad terram, & convellere conati, nihil profecerejcontactu illius, ac fragmentis morbi passim curabantur.

Martinus Valentia oriundus, è familia Franciscanorum, studii multum posuit in propagando per eas regiones Christi cultu, multaque mirabilia effecit.

Novissimè verò Aloysius Bertrandus è Dominicanis maximè nostram religionem in iis locis amplificavit: datumque
est illi divinitus, ut mortuos ad vitam revocaret, & innume- B
ros ægrotos restitueret sanitati. Accidit aliquando, ut cujusdam vici incolæ ad eum confluerent, nomen Christo dare parati. Interrogati quid eos ad hoc adduceret, responderunt,
in publico quodam, universalique eorum conventu adstitisse
dæmona, quem cuncti specie horribili viderent, ac dixisse:
Quid me adstantibus duobus Christianis invocatis? (aderant
fortè duo ab Aloysio ad Christum perducti:) abripite eos
hinc. Ubi hæc dixit, homo quidam, qui se diceret ab Aloysio missum, processit repentè in medium conventum, & in
conspectu omnium disputatione inita, dæmona convincit;
quibus actis, evanuere ex oculis adstantium.

Venit fortè in manus Principis cujusdam, qui non longè
aberat à finibus Regni Peruani, effigies Christi Crucifixi: ille
acceptam conspuere, ac multis modis irridere cœpit in conspectu plurimorum. Ibi mirabiliter imago, quasi verè spiraret cœpit, ex oculis lumen emittere, caput motare, & adspectu minaci Regem, cunctosque terrere. Quocirca pavore
percussi omnes, & tremore correpti, partim cecidere ad terram, partim cùm se viderent obrigescere, neque posse loco
recedere, exclamare cœperunt, factique pœnitentes misericordiam suppliciter implorare. Ob id pristino statui protinus
restituti magnum Christianorum Deum palàm confiteri al-
tissima voce, rem cunctis enarrare. At Princeps unà cum F
multis è numero suorum se Cuzcum contulit, & factum divulgans Christo se devovit.

Innumera verò sunt, quæ in singulos dies miracula in iis
regionibus contingunt, & contigere. Satis autem nobis sit hæc
retulisse de indiis Occidentalibus.

## IN INDIA ORIENTALI.

Quoad Indias Orientales, suffecerit unum, totique Indiæ
notissimum miraculum protulisse: quæ enim superiori sæculo
à Deo per varios variorum Ordinum Religiosos, qui huc ad
fidem propagandam missi fuerant, patrata sunt, passim in historiis istius regionis traduntur, & per epistolas varias innotuerunt.

Igitur in India cis Gangem ad littora Orientalia Regni Bisnagæ est urbs Maliput, quam nos S. Thomæ vocamus; in qua
corpus ejus ex parte asservatur, simulque lapis vetustissimus,
in quo crux incisa, ad quam cum genibus flexis supplex Apostolus preces ad Deum faceret occisus olim fuit. Lapis ille antiquitus, & crux, in qua eminent notæ sanguinis insignes,
quibus interfecto Apostolo fuit adspersa, solebat quotan- G
nis die festo sancti viri, verti in colorem nigrum, liquoque ex
illa emanare incredibili copia, deinde color ceruleus pro nigro subibat. Sed facta est ejus rei, quæ admirabilis omnino erat,
aliquo tempore intermisso, donec anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, ut Osorius testatur, cùm jam nostrorum plurimi habitarent in illa urbe, in qua & duo sunt
monasteria, alterum Franciscanorum, alterum Jesuitarum, factum est, ut miraculum renovaretur multo magnificentiori,
ac diviniori modo, quam prius. Nam cum stato die sacerdos
Missam celebraret, Evangeliumque inchoaret (neque enim
prius, quam legi incipiat Evangelium, res contigit) crux repentè nigris maculis splendidis tamen, infici cœpit, & postquam
copioso liquore fluxit, clarissimè splendere sanguineo colore,
quo tincta remanebant etiam lintea, quibus humor abstergebatur, ac colligebatur. *Hæc Osorius post alios.*

## * MIRACULA AB HÆRETICIS, ALIISQUE INFIDELIBUS PATRATA, EAQUE falsa, & fallacia. H

*In confusionem eorumdem, & doctrinæ per eos traditæ.*

### EX S. SCRIPTURA.

Falsi Prophetæ Baal ignem de cœlo deducere non potuerunt, quem potuit Elias veri Dei cultor. 3. *Reg.* 18.

Judæ exorcistæ tentantes exorcizare impuro spiritu vexatos, temeritatis suæ pœnas luunt. *Act. c.* 19.

### HISTORICA.

Simon Magus quamvis in aliis terrarum partibus Petri
Apostoli expertus esset potentiam, tamen perveniens Romam
ausus est jactare, quòd mortuos resuscitaret. Defunctus erat id
temporis Romæ adolescens nobilis, propinquus Cæsaris Neronis, cum universorum dolore. Admonuere plerique experiendum, utrùm posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habeba-



habebatur Petrus, sed apud gentiles nulla facti hujusmodi de-
A ferebatur fides. Dolor exegit remedium, perrectum est
ad Petrum. Fuere, qui etiam Simonem accersendum putarent: uterque adfuerunt. Ait Petrus Simoni, qui se
de sua jactaret potentia, priores sese partes dare; ut si
posset, mortuum resuscitaret, si ille non resuscitaret, se non
defuturum, ut Christus opem ferret defuncto, quo posset
resurgere. Simon, qui putaret apud urbem gentilium plurimum suas valituras artes conditionem proposuit, ut si ipse
resuscitasset mortuum, Petrus occideretur, qui magnam potentiam (sic enim appellabatur) lacessendo injurias irrogavisset: sin verò prævaluisset Petrus in Simonem, pari genere
vindicaretur. Acquievit Petrus, adorsus est Simon, accessit
ad lectulum defuncti, incantare, atque immurmurare dira
carmina ut cœpit, visus est caput agitare, qui mortuus erat.
Clamor ingens gentilium, quod jam viveret, quod loqueretur cum Simone: ira, & indignatio in Petrum, quòd ausus
esset conferre sese tantæ potestati. Sanctus Apostolus poposcit silentium, & dixit: Si vivit defunctus loquatur: si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur; phantasma illud esse, non veritatem, quòd videatur caput movisse. Denique separatur, inquit, Simon à lectulo, & tunc ne id
quidem ostentui futurum. Abducitur Simon à lectulo, ma-
B net sine specie motus alicujus, qui mortuus erat. Adstitit Petrus longius, & intra se paulisper orationi intentus, cum magna voce ait: Adolescens, surge, sanet te Dominus Jesus:
& statim surrexit adolescens, & locutus est, & ambulavit,
& cibum sumpsit, & dedit eum Petrus matri suæ. Qui cùm
rogaretur, ut ab eo non discederet, ait: Non derelinquetur
ab eo, qui eum fecit resurgere, cujus nos servi sumus. Secura esto: mater de filio non verearis, habet custodem
suum. Et cùm populus in Simonem insurgeret, ut lapidaretur, ait Petrus: Satis est ad pœnam ejus, quòd cognoscit
suas artes nihil valere: vivat, & Christi regnum crescere videat vel invitus. *Egesippus lib.3. de Excidio urbis Hierosolymitanæ cap.2.*

Cùm Isdigerdes Theodosii à patre institutus tutor, & Romanis amicus maximè esset, frequentes extitere causæ, quamobrem inter Romanos, & Persas crebræ ultrò citroque mitterentur legationes. Itaque necessitate flagitante, Maruthas
quoque Mesopotamiæ Episcopus, qui paulò ante Cyrini
Chalcedonensis Episcopi pedem potriverat, orator est missus. Et postquam is ad Persas venit, propalam Rex eum
in magno habuit honore, ut virum Deo charum, & multa
C pietate preditum. Magi ubi tantum honorem Romanæ dignitatis Episcopo haberi viderunt, qui plurimùm apud Regem
authoritate valent, apud seipsos macerabantur, variisque
cogitationibus æstuabant, ne unà cum ea, qua illum prosequebantur affectione, religionem quoque ejus complecteretur metuentes. Nam capitis quoque dolorem gravem, & diuturnum, in quo Isdigerdes afflictus fuerat, Maruthas precatione Deo exorato statim curaverat: quod magi, cùm omnia tentassent atq; egissent, efficere se posse desperaverant.
Quapropter dolo rem aggredi statuerunt, &c. *Niceph. Callist. hist. Eccl. l.14. c.18.*

Tractus S. Eugenius ad Hunericum Regem cum Cyrola Arienorum Episcopo pro fide Catholica decertavit: cùmque eum de sanctæ Trinitatis mysterio potentissimè devicisset,
& insuper permultas per eum virtutes Christus ostenderet,
in majorem insaniam Cyrola Arianus, invidia inflammante,
succenditur. Erant tunc temporis, cum S. Eugenio viri prudentissimi, atque sanctissimi, Vindemialis, & Longinus Episcopi pares gradu, virtute non impares: nam S. Vindemialis eo tempore ferebatur mortuum suscitasse: Longinus au-
tem multis infirmis salutem tribuit: Eugenius quoque non
D solùm visibilem oculorum cœcitatem, sed etiam mentium
depellebat. Quod cernens ille nequam Arianorum Episcopus, vocatum ad se quendam hominem ab illo, quo ipse vivebat errore deceptum, ait: Non patior, quòd hi Episcopi
multa in populo signa deprominant, illosque cuncti, me neglecto, sequantur. Acquiesce nunc his, quæ præcipio, &
acceptis quinquaginta aureis, sede in platea, per quam nobis
est transitus; & manum super clausos oculos ponens, me
præeunte, cum reliquis, exclama magna virtute, dicens:
Te beatissime Cyrola nostræ religionis Antistes, deprecor,
ut respiciens manifestes gloriam, & virtutem tuam, ut oculos meos aperiens, merear lucem videre, quam perdidi. Qui
jussa complens, residensque in platea, transeunte hæretico,
cum Sanctis Dei, iste qui Deum irridere cogitabat, exclamabat magna virtute, dicens: Audi me, beatissime Cyrola:
audi me, sancte Sacerdos Dei, respice cæcitatem meam: Ex-
periar ego medicamenta, quæ sæpè cæci reliqui à te meruerunt, quæ leprosi experti sunt, quæ ipsi etiam mortui persenferunt: Adjuro te per istam virtutem, quam habes, ut mihi desideratam restituas lucem, quia gravi sum cœcitate percussus. Veritatem enim nesciens, verum dicebat, quia cœcaverat eum cupiditas, & virtutem Dei omnipotentis irridere per pecuniam æstimabat. Tunc hæreticorum Episcopus paululùm se divertit, quasi in virtute triumphaturus, elatus vanitate, atque superbia, posuit manum super oculos ejus, dicens: Secundùm fidem nostram, qua rectè Deum credimus,
aperiantur oculi tui. Et mox, ut in hoc nefas erupit, risus
mutatur in planctum, & dolus Episcopis est patefactus in publico. Nam tantus dolor oculos miseri illius invasit, ut eos
digitis vix comprimeret, ne ereparent. Deniquè misèr clamare cœpit, ac dicere: Væ mihi misero! quia seductus
sum ab inimico legis divinæ. Væ mihi, qui Deum per pecuniam irridere volui, & quinquaginta aureos accepi, ut hoc
facinus perpetrarem. Ad Episcopum autem ajebat: Ecce aurum tuum, redde lumen meum, quod dolo tuo perdidi. Vosque rogo, gloriosissimi Christiani, ne despiciatis miserum, sed
velociter succurrite pereunti. Verè enim cognovi, quia Deus
non irridetur. Tunc Sancti Dei misericordia moti: Si inquiunt,
credis, omnia possibilia sunt credentis. At ille clamabat voce
magna: Qui non crediderit Christum Filium Dei, & Spiri- F
tum sanctum æqualem habere substantiam, atque Deitatem,
cum Deo Patre, hodie quæ ego perfero, patiatur. Et adjecit: Credo Deum Patrem omnipotentem: credo Filium Dei
Christum Jesum æqualem Patri: credo Spiritum sanctum
Patri, & filio consubstantialem, atque coæternum. Hæc illi
audientes, & se invicem amore mutuo prævenientes, oritur
inter eos sancta contentio, quis oculis ejus signum beatæ Crucis imponeret: Vindemiali verò, ac Longinus Eugenium:
ille autem eos è contra exorat, ut manus imponerent cœco.
Quod cùm fecissent, & manus suas, super caput ejus tenerent, S. Eugenius Crucem super oculos cœci faciens, ait:
In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti veri Dei, quem
trinum in una æqualitate atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui. Et statim ablato dolore ad pristinam rediit
sanitatem. Manifestissimè autem patuit per hujus cœcitatem,
qualiter hæreticorum Episcopus oculos cordium misero assertionis suæ velabat amictu, ne veram lucem illi liceret fidei oculis contemplari, &c. Hunnericus autem videns assertiones
suas per sanctorum fidem gloriosam taliter denudari, ne erigi
sectam erroris, sed potius destrui, fraudemque Pontificis sui G
in hoc scelere fuisse detectam, sanctos Dei post multa tormenta, post aculeos, post flammas, post ungulas, jussit interfici:
beatum verò Eugenium decollari. *Gregor. Turonensis lib.2. hist. Franc. cap.3. apud Baron. tom.6. an.484.*

Huic conforme est, quod idem *Gregorius* describit *libro de Gloria Confessorum*: In Hispaniis, inquit, nuper factum
cognovi, cùm Leovigildus Rex contra filium suum ambularet, atque exercitus ejus (ut assolet) graviter loca sancta concuteret. Monasterium erat S. Martini inter Saguntum, atque
Carthaginem Spartariam: audientes autem Monachi, quòd
hic exercitus ad locum illum deberet accedere; fugam
ineunt, & se, relicto Abbate sene, in insulam mari abscondunt. Advenientibus autem Gothis, ac diripientibus res
Monasterii, quæ sine custode remanserant, Abbatem senio
incurvatum, sed sanctitate erectum offendunt: extractoque
unus gladio, quasi amputaturus cervicem ejus, resupinus
ruit, ac spiritum exhalavit: reliqui verò hæc videntes, timore perterriti fugerunt. Quod cùm Regi nunciatum fuisset,
cum testificatione præcepit, omnia, quæ ablata fuerant, Monasterio restaurari. Cernens autem præfatus Rex tanta miracula
per servos Dei, quæ nostræ religionis erant, fieri vocavit
unum Episcoporum suorum, dixitque secretius ad eum: H
Quamobrem vos, ut isti, qui se Christianos dicunt, non
ostenditis signa in populo secundùm fidem vestram? Dicit
ei Episcopus: Sæpiùs ego cœcis lumen reddidi, & surdis auditum, nunc autem hæc possum facere, quæ dicis. Et vocato ad se uno de hæreticis, clanculo ait ad eum: Accipe quadraginta aureos, & clausis oculis reside in loco, unde nobis est
transitus: & præterceunte mecum Rege, exclama in virtute, ut
perditum lumen mea tibi credulitate restituam. Cùmque hic
accepta pecunia fecisset, quod sibi fuerat imperatum, procedit
novus Cyrola ad dextram constipatus hæreticorum caterva.
Exclamat & iste cœcatus pecunia, ut fide Episcopi reciperet
oculos suos. At iste cùm non minima arrogantia imponens
manus super oculos ejus, ait: Secundùm fidem meam fiat tibi.

A Hæc eo dicente, ita obſerati ſunt oculi hominis cum dolore, ut non ſolùm viſum perderet, verùm etiam dolum, quem avaritia impellente finxerat, publicaret. Hactenus Gregorius, qui idcirco Epiſcopum hunc, cujus non refert nomen, novum appellat Cyrolam, quod ejuſdem nominis Epiſcopus iſtiuſmodi facinus tempore Vvandalico in Africa perpetraſſet, ut ſupra dictum eſt. Ejuſmodi planè eſſe conſuevere hæreticorum miracula, ut impoſturis affectent agere, quòd omninò denegat ipſis gratia Spiritus ſancti in operatione virtutum, quæ tanquam certa, atque legitima eos, cum aliis chariſmatibus Eccleſiæ Catholicæ tantummodo impertita cognoſcitur, veluti evidens ſignum, quo Catholici ab hæreticis internoſci poſſint, nempe in oſtenſione ſignorum, quæ verè, propriéque miracula dici queant. *Idem Gregor. lib. de gloria Confeſſ. c.12.13. Baron. tom.7. Annal. an.*583.

De Polychronio hæretico Monothelita, qui mortuum ſuſcitare tentaverat, ſic *Alanus Copus ex actione XV. Oecum. Concilii*: Veterator, inquit, ſuo reſpondens nomini, Polychronius, auſus eſt ad confirmationem ſectæ ſuæ ultrò apud ſextam Synodum Oecumenicam in Trullo polliceri, ſe mortuum vitæ redditurum. Non ita multò pòſt, allato cadavere virtutis ſuæ ſpecimen editurus, cum diu fruſtra mortuum ad vitam revocare tentaſſet, ab omni concione, ut vaniſſimus B nebulo exploſus eſt, nec tamen errorem deponere voluit. Refert & *Paulus Diaconus lib. ult. rerum Romanarum*, mirabiles Iconomachorum fraudes, quibus illi hæreſim ſuam, & impietatem Conſtantini Copronymi ſtabilire conati ſunt: Ait enim quendam ex illis clam in imperiale ſepulchrum ſe proripuiſſe, & quaſi à mortuo ea vox prolata fuiſſet, magnis laudibus Conſtantinum Copronymum extuliſſe, ut eo commento hæreſim illam, quæ in imagines graſſabatur, populo plauſibilem redderet. Ab hæreticis igitur nulla vera miracula ſunt expectanda, ſed à ſolis Catholicis. Quod enim pro ſui erroris conformatione præſtare non potuerunt Polychronius, & alii hæretici, hoc pro Catholica fide confirmanda ſæpius præſtiterunt in mortuis ad vitam revocandis beati Martyres, & Confeſſores. *Ex Synodo 6. Oecumen. in Trullo. Alan. Copus Dialog. 6. cap. 29. Bredembach. lib. 7. Collation. cap. 5. Baron. tom. 8. an.* 681.39.

Ante annos fermè quadringentos vixit Cæſarius Ciſtercienſis, qui ad hanc rem refert hiſtoriam, cujus hæc ſunt verba: Tempore illo, quando manifeſtari cœperunt hæreſes Albigenſes, quidam maligni virtute diabolica ſuffulti quæ- C dam ſigna, atque portenta oſtenderunt, quibus & eaſdem hæreſes roboraverunt, & multos fidelium ex fide ſubverterunt. ſuper aquas ambulaverunt, & non ſunt ſubmerſi. Cernens hoc Sacerdos quidam fide Catholicus, & vita religioſus, ſciens vera ſigna cum falſa doctrina eſſe non poſſe; corpus Domini cum pyxide ad flumen ubi illi populis oſtenſuri erant virtutes, deportavit, dixitque in audientia omnium: Adjuro te, diabole, per eum, quem in manibus porto, ne in hoc flumine, ad hujus populi ſubverſionem, per hos homines tantas exerceas phantaſias. Poſt hæc verba, illis ſuper undas fluminis ambulantibus, ut prius, ſacerdos turbatus corpus Dominicum in flumine jactavit. Mira Chriſti potentia! mox enim, ut elementum tetigit Sacramentum, phantaſia ceſſit veritati, & pſeudo illi ſancti, quaſi plumbum deſcendentes in profundum, ſunt ſubmerſi; pyxis verò cum Sacramento ab Angelis ſtatim ſublata eſt. Videns Sacerdos hæc omnia, ut miraculo quidem exultavit, ſed de jactura Sacramenti doluit, totam noctem in lacrymis, & gemitu tranſigens, manè pyxidem cum Sacramento reperit ſuper altare. *Cæſarius lib. 9. de Mirac. c. 12. Martin. Velrio lib. 6. Diſquiſ. magic. tom. 3. c. 2. ſect. 3.*

D Poſſum ego redigere mihi in memoriam anno 1545. dæmoniacam quandam puellam è Miſniæ ditione adductam Vvittembergam ad Lutherum ea ſpe, quòd Lutherus ceu tertius Elias puellam iſtam à malo dæmone liberaturus eſſet. Quamvis autem Lutherus ad hoc demirandum, & magni momenti opus initio non parum difficilem ſe oſtenderet, at tandem tamen juſſit puellam duci in parochianæ Eccleſiæ Vvitembergenſis ſacrarium; illicque coram aliis pleriſque Doctoribus, & eruditis viris (inter quos tum quoque juvenis magiſter aderam) dæmonem occœpit adjurare, & exorcizare; ſed id tamen more ſuo, non eo, qui apud Catholicos receptus, & uſitatus eſt. Cùm autem diu multùmque ille conjuraſſet dæmonem, cedere illi voluit, ſed eas in anguſtias, ſit venia verbo, Lutheri caligas redegit, ut is quamprimùm è ſacrario ſe proripere vellet. At quid accidit? malignus ille dæmon uſque adeò ſacrarii res obſtrinxerat, ut neque forinſecùs, neque intrinſecùs aperiri poſſent. Quæ res Lutherum in B majores anguſtias etiam adduxit, ita ut jam ad feneſtram properaret, ſperans per eam ſe poſſe effugere, & exilire; verùm obſtabant illi cancelli ferrei; ſicque compulſus eſt unà nobiſcum tantiſper incluſus hærere, donec per cancellos ferreos ab æditoo nobis eſſet oblata ſecuris, mihique ceu juveni viro tradita, ut ea fores effringerem: quod equidem tum conatus ſum, & ad effectum perduxi. Interea verò viſu admirandum erat, ut Lutherus angoribus correptus ſurſùm, deorſumque curſitaret, atque inſtar ovis parturientis hòc illucque ſeſe inverteret. *Fridericus Staphylus in abſoluta reſponſ. contra Jacobum Schmidelin. Vvilhelmus Lindan. dialog. 3. Dubitantii c. 1. Bredembach. lib. 7. Collat. ſacr. c. 40. an.* 1545.

Quonam miraculo Lutherus ſeſe ſuis, aut Prophetam, aut Elizam probaverit, non liquet, niſi quod Vvilhelmum Neſenum in Albi ſubmerſum vanis immurmurationibus ſpe miraculi in vitam revocare fruſtra tentarit. *Vvilhelm. Lindal. dial. 3. Dubitantii c. 1. & Laur. Sur. in Chronico.*

Brulæus Oſtuno Genevam vigentis illic religionis ſtudioſus demigrat: & cùm inops eſſet, atque pauper, uterque, ipſe, & uxor Calvini gratiam aucupabantur, ut ei commendati, peculii pauperum, cujus ipſe loculos geſtabat, eleemoſynarumque fierent participes. Eis Calvinus vitæ ſubſidia benignè pollicetur, aliiſque in rebus ſe adjuturum promittit, ſi F ipſi contrà ſuam operam ſibi non negarent ad rem quandam, quam per eos fieri vellet; ſed opus eſſe fide, & magna taciturnitate. Viciſſim autem illi ad hoc, quod jubere vellet, promptos ſe offerunt. Et quemadmodum à Calvino edoctus, inſtructuſque fuerat miſer hic Brulæus, morbum ſimulat, & ſe in lectum abiicit, Miniſtri pro concione populo commendant, ut precibus juvarent, eleemoſynis paupertati ſuccurrerent. Non diù poſt perſonam mortui induit, & quidem mortuum ſe ſimulat. Hinc Calvinus clam admonitus, quam tamen omnium rerum ignarus, deambulatum prodit, ſed comitatus pro more ſuo magna caterva amicorum, qui ipſi ſingulariter conjuncti, & ſummè intimi eſſent; ſine quibus vix pedem domo efferebat. Poſtquam autem eò ventus eſſet, ubi clamores, & ejulatus uxoris, quæ miſellam, & deſolatam aliquam mulierem egregiè exprimebat, exaudiret, quidnam hoc eſſet, ſciſcitatus domum ingreditur, ubi in genua ipſe, & reliqua caterva provolvitur, precibuſque alta voce profuſis Deum obteſtatur, potentiam ſuam, ut declarare vellet, ſimulque manifeſtum facere, ſe Calvinum peculiarem, ſibique gra- G tum ſervum eſſe, & ſe ad Evangelii ſui miniſterium, & Eccleſiæ reformationem, ſingulariter, ac verè vocatum. Poſt quas preces ad mortuum appropinquat, & miſeri hominis manu apprehēſa, in Dei, & filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine imperat, ut ſe erigeret, Deique ſic gratiam manifeſtam faceret. Repetit iterùm, ſæpiuſque eoſdem ſermones voce etiam altiùs elevata. Quid fit? Neque audit, neque loquitur, neque ſe commovet mortuus; juſto enim Dei judicio, qui fucos, mendaciaque deteſtatur, is qui ſe mortuum ſimulat, verè eſſe mortuus repertus eſt: & uxor quidquid eum agitaret, quomodocumque eum impelleret, neque vocem extorquere, neque ut ſe commoveret, efficere potuit; ſed totus frigebat, rigebat totus. Quo animadverſo, plorare, ululatus ſeriò edere, & ex animo cœpit uxor, & in Calvinum invecta, impoſtorem eum, ſicarium, latronem, qui maritum interemiſſet, appellans, ex ordine rem, quomodo erat geſta, elata altaque voce expoſuit. Quæ cùm admonitionibus vilis promoveri, neque minis ſatis terreri poſſet, ut taceret, Calvinus, apud mortuum ea relicta, illinc ſe ſubduxit, in vulgus ſpargens mœrore mariti obitu deliram, ideòque excuſandam, & H hoc illi indulgendum eſſe. Certum hoc eſt, conventum cum ea deinde urbe, ut excederet: & eſt ipſa Oſtunum reverſa. *Ex vita Joan. Carnin. cap. 13. per Hieron. Bolſecum medicum Lugdun. ſcripta. Laurent. Surd. in Chron. ad an.* 1544. *Bredemb. lib. 7. Collat. cap. 3.*

Verùm, utut ſe habeat illud celebratum toto orbe Calvini miraculum, hoc tibi pro vero affirmo, haud ita pridem in Polonia, non longè à Cracovia, pago Biethazaze, anno Domini 1558. ut habet Alanus Copus, quiddam fuiſſe tentatum ſimile, uti doctiſſimus vir *D. Franciſc. Turrianus, l. 1. de dogmat. character verbi Dei* recenſet: Concionator enim ſui Evangelii gratia confirmandi quendam Matthæū certo conduxit ſtipendio, qui ſeſe mortuum ſimularet, atque ad clamantis vocem ceu mortuus reſurgeret. Illum feretro incluſum ad templum deduxit uxor, artificis nefarii conſcia, funus fletu, & ejulatu proſequitur. Ille ubi ſatis de ſuo novo Evangelio tonaſſet; Surge,



Surge, inquit, Matthæe, in nomine Chriſti, cujus Euangelium A prædico. Cùm Matthæus non ſurgeret, ille inclamat altiùs, ut ſomnum fortè excuteret. Ubi nec ita exſurgeret Matthæus, itur ad feretrum, detegitur velata facies, & revera deprehenditur mortuus, qui ſeſe tanto aliorum periculo mortuum, atque à mortuis in vitam revocatum ſimulare voluerat. Mox uxor, quæ lachrymas, & lamenta nuper finxerat, nunc verè lachrymis, vocibus, ac tantùm non pugnis in concionatorem illum, non paſtorem, ſed impoſtorem invecta, ſuo malo iſti novo fidem habuit Evangelio. Sic per Hollandiam Anabaptiſtarum quendam ſimulaſſe mutatæ in vinum aquæ: captorum item piſcium, quos paulò ante in puteum injecerat, miraculum notius eſt, immò ut quidam ajunt, ex Actibus publicis monſtrari poſſe, quàm ut ſit verboſius referendum. Plurima quoque de Georgio Davidis audivi ab oculatis teſtibus, quæ conceptam paſſim de eo magiæ opinionem mirificè confirment. Hactenus Lindanus. *Copus lib. 6. dialog. cap. 29. D. Vvilhelm. Lindan. dialog. 3. Dubitantii cap. 1. Bredemb. lib. 7. cap. 4. an.* 1558.

Quod narrabo contigit in quibuſdam Polonicorum regnorum terris. Anabaptiſtarum neſcio quis princeps undique omnes ſuos invitavit ad ſuum baptiſmum, affirmans fore, ut B actio tota miraculis illuſtraretur, & Spiritus ſanctus adeſſet. Advenere invitati die dicta. Primus in lavacro pedem ponit anteſignanus ille: continuò apparuit, videntibus cunctis, dæmon: Hic eſt enim Spiritus ſanctus hæreticorum, qui capillis apprehenſum impoſtorem, ſæpius in aera ſuſtollens, & aquis immergens, & allidens, tandem perterritis univerſis, atque exanimatis, ſuffocavit. Hæc igitur miracula iſtorum. Quod ſi ab ipſis eſſet veritas, proculdubio ubi ventum eſſet in concionem: noſtra miracula evaneſcerent, & irrita fierent. Nam tempore etiam Antichriſti liquebit ejus prodigia nihil eſſe, & idcirco is furore percitus ad arma convolabit, donec è cœlo Chriſtus accurrat, & opem ſuis ſuerat. *Thomas Bozius tom. 1. de Signis Eccleſ. lib. 5. c. 2.*

In Divi Georgii ſuburbio Auguſtæ Vindelicorum habitavit anno Dominicæ incarnationis 1563. quidam civis Roſſimanus, textor; qui habuit filiam Annam nomine, annum agentem vigeſimum, quæ in menſe Martio ejuſdem anni nocte à dæmone ſolicitabatur, ut ſeſe ei dederet: nec diu poſt veluti quandam mentis impotentiam præ ſe ferre videbatur. Paulò poſt diabolus in ſpecie teterimæ, ac atræ felis in vaporarium proruit, multis ibidem, cum eadem Anna præſentibus. Porrò ipſa Anna jam anteà, ac deinceps maniſeſtè è dæmone obſeſſa apparuit, qui etiam miris, & hor- C rendis modis eam afflixit, adeò ut jam nunc eam accepturus, & ad inferos avecturus videretur. Parentes à Martio ad 18. Junii diem magnis impendiis quoſdam conduxerunt, qui filiæ curam haberent. Nec interim prætermittunt opem, & conſilium implorare miniſtrorum, & præconum confeſſionis Auguſtanæ. Quorum plerique ad obſeſſam acceſſerunt, exiſtimantes ſe per virtutem verbi Dei dæmonem ejecturos. Verùm illi cùm exorciſmis ſuis, atque omni induſtria, ac labore ſuo nihil proficerent, mandarunt parentibus, diligentem ut filiæ curam haberent: Deum præpotentem, qui tali afflictione filiam cruciari permitteret, ipſam, ut ſibi viſum eſſet, facilè liberaturum. Cùm hæc agerentur, ingreſſa eſt eaſdem ædes, in quibus puella obſeſſa detinebatur, virgo quædam Anna nomine, filia quondam M. Matthiæ Kapiſſerri, publici civitatis Auguſtanæ chirurgi, cum pediſſequa nomine Magdalena, ut puellam tam diris modis afflictam pietatis affectu inducta viſeret. Quam cùm horrendum in modum à dæmone diſcruciari cerneret, adeò ut ne uno quidem die eam ſupereſſe poſſe putaret, evo- D cavit parentes ex vaporario, monens extremè neceſſarium eſſe, ut quocunque poſſent modo, filiæ ſuccurrant. Et ſiquidem ipſis gratum ſit, ſe miſſuram ad quendam, quem omninò confidat puellam, divina cooperante gratia, liberaturum. Parentes id grataner acceperunt, rogantes eam, ut quibus poſſet conſiliis, & auxiliis ſubveniret. Quæ protinus perdiſſequam ſuam unà cum M. Melchioris Fabri ſcholæ Germanicæ Præfecti uxore, mittit ad Reverendum Simonem Scheibenhardum, ſacræ Theologiæ Doctorem Catholicum, Paſtorem D. Mauritii Auguſtæ, rogans ut ad infirmam venire non gravaretur. Ille exiſtimans communem eſſe infirmitatem, reſpondit, ſe pietatis ergo mox ipſas ſubſecuturum, etſi illibenter ad ea loca vadat, in quibus exulet religio Catholica. Intereà mater obſeſſæ virginis, Annam Kapfterri filiam accedens, ait maritum ſibi mandaſſe, ne quenquam ſacrificum in ædes admittat: vicinos enim dehortatos, inſuperque dixiſſe, Deum, qui hanc afflictionem filiæ permiſiſſet obvenire, poſſe quoque eam curare; malle autem ſeipſum caco- E dæmonem, quàm ſacrificum in ædem admittere. Ad quam Anna: nihil debere eam hujus morari, præſentem eſſe ob oculos rei afflictiſſimæ miſerrimum ſtatum, quem & ipſi magiſtratui ſit indicatura. Intereà dum Doctor Simon ædibus appropinquat, ecce puella obſeſſa mirum, & horrendum in modum vociferatur, huc illucque ſeſe jactitans. Unde Anna Kapfferri interrogavit, quidnam deſideret? Atque ubi eam potus deſiderio intellexit teneri, aquam benedictam ei bibendam obtulit: qua exhauſta, protinus puella in clamorem, & fremitum reſolvitur, totoque corpore coarctata veluti in ſpiras reflectitur, capite ad pedes uſque incurvato, adeòque ut circumſtantes viderent, & agnoſcerent aquæ benedictæ virtutem dæmoni in primis gravem, & inimicam. Nec deinceps ullam requiem habuit obſeſſa, ita ut unus ex quatuor viris ad puellæ cuſtodiam conductis palàm proteſtaretur, niſi parentes puellæ jam nunc medelam procurent, ſe nec univerſam quidem vrbem Auguſtam in precium accepturum pro unius apud eam noctis privilegio: tam enim tetrum, & horrendum fumum ex gutture obſeſſæ prodiiſſe, ut omnes arbitrati ſint ſe ſuffocandos. Dum ſic puella diris modis ringitur, ac tumultuatur, V. D. Doctor Simon ædes ipſas ingreditur, progreſſuſque in vaporarium rogatur à circumſtantibus, ut propter Deum in præſenti afflictione, & miſeria, quam poſſit F opem, & conſilium præſtet. Reſpondet ille, opem, & auxilium omne in ſolo Deo repoſitum eſſe illi ſi viſum fuerit, poſſe eam his malis exonerare. Obſeſſa verò diris in eum fremere conviciis, & contumeliis, necnon & blaſphemias, & plauſtra criminationum evomere: Sacrifice, inquit, Deus te diſperdat: dimitte me jam nunc, perſentio quid moliaris. Denique poſt multa dirarum comminationum certamina, cùm primùm diabolus D. Doctori exorcizanti inſultaret, ac deinde alias, atque alias egrediendi vias, & loca manſionis efflagitaret, tandem cùm ſæpiùs repetita vice inſtanter urgendo dæmonem coarctaret, ac graviſſimis verbis præciperet, ut emigraret, multaſque è contrà tergiverſationes necteret, & effugia quæreret dæmon, tandem puellam miris, horribilibuſque modis exagitavit, adeò ut collum ad capitis ipſius magnitudinem intumeſceret, totumque os horrendum in modum nigreſceret; lingua quoque informi, & immodica longitudine ex ore promineret. Ad quem horrorem cùm parentes cum circumſtantibus toti contremiſcerent, omneſque nomen Jeſu invocarent, reſpondit D. Doctor, miſſum jam facerent omnem timorem: jam jam enim rem feliciter conficiendam. Et ecce puella placidè recumbit, mandatque D. Doctor eam G nunc liberam dimitti, quia benigniſſimus Deus ipſam liberaſſet: moxque puella oculis in cœlum elevatis, manibuſque complofis Deo Opt. Max. ſummam tribuit laudem, & gratiarum actionem, ſubjungens ſe jam nunc agnoſcere, & intueri Deum ipſum in cœlis: Deinde ipſi Doctori Parocho maximas egit gratia: qui cùm crebro eam interrogaret, ſentiretne ſe modò liberatam? reſpondit: Omnino. Poſtmodum interrogavit D. Parochus, anne quicquam videret? At illa, ſe ex oppoſito videre quendam tetra fronte, rubro capillo, & protenſa lingua. qui eam indefeſſo nutu ad ſe invitet. Quo audito D. Doctor Parochus monuit eam, ut ter ſancto Crucis ſignaculo ſe conſignaret, dicendo: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*. Quod cùm faceret, evanuit quidem ille malignus, ſed mox reverſus eſt. Eum planè in modum D. Doctor Simon puellam Chriſtianis dogmatibus erudivit, docens quomodo in omnibus iſtis machinamentis dæmoniacis audacter diabolo renunciaret, totamque ſe divinæ tutelæ committeret. Qua in re illa rectè monenti libenter obſecuta eſt, atque ita demum poſt multa certamina ad breve H tempus quieti ſe tradidit. Porrò D. Doctor ex parochia ſua D. Georgii venerabile Sacramentum ſacræ Euchariſtiæ proferens, poſt multas pias, & ſalubres admonitiones, preces, & exomologeſim, idem venerabile Sacramentum puellæ adminiſtravit: ac poſteà rurſum interrogavit, num quidnam inſolitum, aut terribile videret. Illa verò cùm nihil ſe prorſus videre reſponderet, ſed optimè ſecum agi, divina cooperante gratia, tandem R. D. Doctor Parochus diſceſſum ab ea parans in domum ſuam regreſſus eſt. Hæc omnia geſta ſunt in præſentia multarum honeſtarum perſonarum. Ipſa verò puella aliquot deinde diebus detenta eſt, ac paulò poſt integrè convaluit, communibus vitæ humanæ officiis vacans. *Tilm. Bredemb. lib. 7. Collation ſacrarum. c. 42. an.* 1563.

In loco dicto Jamada, ſub reſidentia Cuigujæ, cùm adoleſcens Chriſtianus, quindecim aut ſedecim anno natus frequentius

quentius à dæmone torqueretur, Bunzius ejus patruus primùm
A conatus est dæmonem suis gentilitiis ritibus, & vanis deprecationibus Chami, & Forochi depellere; sed cùm irritum videret conatum, piæ cuidam Christianæ ad se ex vicinia accersitæ totius rei successum percensuit. Illa bona sua fide freta Agnum Dei in obsessi collum injecit, & manus, pedesque sune sacris precibus benedicto alligavit. Tum dæmon mox exclamare: Solvite me, & mox excessero. Respondit fœmina: prius te torquebo, & si non promiseris te discessurum, non te solvam: & juvenis liber à dæmone, corporeque integer evasit. *Joan. Haym. in historia de reb. Japon. an.* 1604.

In Bungo degebat Christianus quidam, sed in cultu divino, & animæ suæ salute promovenda æquo frigidior, ita ut clam tantùm gestaret globulos precarios, ne viderentur. Huic flumen transmittenti visibiliter insiliit Satan, acinacemque, quem contra eum distringere conabatur, vi eripuit, ac denique eum corporaliter obsedit. Dominus ejus gentilis servi misertus, Bunziorum preculis, & superstitionibus curavit dæmonem pelli; at ille egredi noluit. Hoc videns quidam, qui præstò erat, consulit domino, ut Christianum quendam, qui do-
B num haberet fugandi dæmones, ad se evocaret. Ubi advenit, ex submissione animi respondit, se non esse tanti apud Deum meriti, ut tanta opera patrare possit: se tamen Deum pro energumeno oraturum. Cùm ergo, se illumque Deo commendasset, & aliquos contriti animi actus exercuisset, egregiè energumenum verberavit; qui ut sensit verbera, horrificos edidit gestus, eoque plures, cum collo ejus injecisset sacrarum reliquiarum theçam, dixitque: Si onus illud sublatum foret, se è carcere excessurum, & eo sublato excessit. Energumenum autem, non secus ac si prorsus mortuus esset, in terram corruit, ac pro mortuo à circumstantibus habebatur, sic prorsus, ut improperarint Christiano, quod hominem occidisset: sed respondit ille, non esse mortuum, expectarent modò, brevi illum revicturum, uti & factum est. Id cùm videret quidam exactor vectigalium regiorum, rei novitate obstupefactus, omnibus Christianis potestatem fecit rofaria sua è collo, vel cingulo, vel quomodo collibuisset, publicè gestandi. *Idem ex eadem relatione, hist. ad an.* 1595.

C Hinc verè *Tertullianus l. de Præscript.* hoc inquit, ab Apostolis, Apostolicisque viris differre hæreticos, quòd illi de mortuis fecerint vivos; hi verò de vivis mortuos. Addamus & nos: Quòd illi dæmones obsessorum corporibus ejecerint; hi verò eos in homines immiserint, vel ut magis sæviant, procuraverint. Tertiò, quod illi vera signa fecerint: hi verò falsa, & mendacia, qualia facturum Antichristum præmonuit Apostolus, 2. *ad Thessal, cap.* 2.

## ALIA MIRACULA DIVINA, A PIIS HOMINIBUS EDITA, PER THOMAM ZUINGERUM Theatro ante inserta: quæ eo ordine, quo ab illo disposita fuerint, in hunc locum transtulimus.

☞ *Consule Titulos, Doctorum Ecclesiasticorum, prophetarum, Monachorum. Item, Orationis effectus, & vires. Item omnia, quæ supra adduximus; & aliunde desumenda annotavimus.*

## IN GENERE, MIRACULIS CLARI.

Joannes Evangelista (quem Jesus amasse plurimùm dicitur) cùm à Pathmo insula Ephesum reverteretur, Drusia-
D nam defunctam ab ipso pheretro, quoad sepeliendum portabatur, sanam surgere, ac domum redire fecit. Virgulta in aurum, litorales lapillos in gemmas mutavit. Ac ne divitiis illi opus fuisse putes, eadem rursum pristinæ naturæ, formæque restituit, Dianæ Ephesiæ templum funditus evertit: præsentaneum venenum inoffensè hausit, eodemque haustu enectos ad vitam revocavit. *Marulus lib.* 2. *cap.* 4. & *Sabell, lib.* 2. *cap.* 5.

Paulus, vas Spiritu sancto plenum, Elymam magum fideles judificantem, cæcitate damnavit ad tempus, ut quamdiù mentis oculos non haberet, nec corpus habere posset. Claudum à nativitate sanavit. Spiritum pythonicum à muliere expulit. Eutychum vitæ, Publii patrem sanitati restituit. Sudaria & semicinctia à corpore ejus ad ægrotos delata morbo liberabant, immundosque spiritus ab obsessis expellebant. Ipse à vipera percussus nihil sensit læsionis. Et cùm Philippis in carcere unà cum Syla discipulo compedibus vincti tenerentur, nocteque intempesta Deo laudes concinerent: terra quatitur, carceris ostia aperiuntur, vincula solvuntur. Postremò à magistratu, cujus jussu in carcerem conjecti fuerant, liberi dimittuntur. *Marul. lib.* 2. *c.* 4.

Gregorius Episcopus Agrigentinus, claruit tanta sanctimonia, ut cæcos illuminaret, dæmones eiiceret, & omnis generis morbos solo manuum contactu curaret. *Surius Tom.* 6.

Divus Gregorius Magnus Neocæsariensis Episcopus, ob frequentia miracula θαυματοργὸς dictus est, quibus Gentiles convertebat. *Martyrol. Rom.* 17. *Novem.*

Agapetum Synadorum Episcopum Eusebius Pamphili multum celebrat, mentionem faciens ingentium ejus miraculorum: ut sunt translationes montium, & fluminum, & mortuorum resuscitationes, Eum, dum miles esset, Maximinus ut Christianum occidere voluit, quòd multos ejus facta supra modum mirari videret. *Suidas.*

Epiphanius Ticinensis Episcopus miraculis, tum aliis, tum etiam in expellendis dæmonibus claruit.

Sulpitium Bituricensem Episcopum dæmones verbo fugasse, ægros oratione curasse, mortuos excitasse, *Vincentius* refert, *l.* 23. *c.* 27. & 29.

Multis miraculis D. Benedictus excelluit. Quare Justinianus non veritus est eum; Sanctis, & quidem Apostolis comparare, ut ait *Leo Hostien.* & *Greg. Turonensis lib.* 2.

D. Bernardus miraculorum, quæ fecit, non se auctorem, F
sed ministrum tantùm esse credidit, solique Deo, quicquid fecit, adscripsit. Immò se nihil boni aut velle, aut posse, nisi inspirante, & operante Deo, & sensit, & dixit: miracula non ad sui commendationem, sed potiùs aliorum commonitionem fieri asserens. Ipsius de suis miraculis judicium extat *lib.* 3. *cap.* 6. *in vita ipsius*. Aliquando ad suos domesticos oratione conversa, dixit: Plurimùm miror, quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per talem. Nihil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines, & perfectos, facta sunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim Sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur: confido autem, nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorantur.

Gothardus Episcopus Hildesheimensis miraculis claruit. G
Nam ad ejus adventum in Longingaha quodam pago immundus spiritus à fœmina exiit. In Huginhusen puerum paralysi, & lepra laborantem, claudumque sanitati restituit. Mulierculæ ex oculis laboranti flores rubicundos cælesti eruce insignitos misit. Quos ut illa oculis admovit, statim omnis cessavit dolor, & oculi sanitati restituti sunt. *Schafnaburg.*

Vulstanus Episcopus Vigorniensis miraculis clarus fuit. Cùm ob inscitiam literarum eum Lanfrancus in Synodo Londinensi sede removendum esse censeret, Vulstanus se insignia Episcopatus, ei, cujus beneficio accepisset, redditurum respondens, profectus est ad sepulchrum Edovardi: & exuto insigni vestitu, baculum pastoralem tam altè monumento lapideo infixit, ut nulla inde vi extrahi posset. Quo miraculo Rex Gulielmus Conquæstor & Lanfrancus territi, ut suo liberè deinceps honore fungeretur, obnixè rogarunt. *Polyd. lib.* 9. Diabolum sæpe provocavit, eumque prostravisse fertur. In summitatibus exitium, & ruinam minitantium fabricarum ambulare solebat. Quamvis fractum pontem intrepidè, etiam eques, transire audebat. *Ranulphus lib.* 7. *cap.* 8. *in Polychronico.*

D. Elizabethæ Andreæ Hungariæ Regis F. Ludovici Thu- H
ringiæ Landgravii uxoris miracula, *Pete ex Bonfinii lib.* 7. *Decadis* 2. & *tom.* 6. *Surii* 14. *Novemb.*

## IN SPECIE. UT PUTA VITIA COGNOSCERE, COMPESCERE, REDARGUERE.

Medericus Abbas apud Edunum sanctitate clarus, cùm monachum libidinosis cogitationibus æstuantem tunica sua induisset, ejusmodi molestia liberavit: discedentisque ab illo immundi spiritus ululatus auditus est, & ipsa in castitatis proposito absque lasciviæ prurigine purè, integrèque permansit. Alius frater Mederici reliquiis de mensa collectis, atque haustis, vagæ mentis inquietudinem repressit, cùm antehac tali dæmonis illusione sollicitatus, persistere in Ecclesia omninò non posset, sed semper, priusquam solennis precatio peracta foret, egrederetur. *Marul. lib.* 5. *cap.* 7.

Hilarion habebat hoc donum, ut ex odore corporum, vesti-



vestiumque earum rerum, quas quis retigerat, sciret, cui dæmo-
A ni, vel cui vitio subjaceret. *Hieronym. in vita Hilarionis.*

Benedictus Abbas, cùm fratrem quendam à diabolo laudi audisset, ejus vicem dolens, ad monasterium, ubi is habitabat, accessit: viditque ipsum ab Æthiope puero extra Ecclesiam per vestem trahi, dum cæteri fratres psallere cœpissent. Insecutus ergo eum, atque increpans virga percussit, neque posteà ejusdemodi mentis instabilitatem passum, cum aliis in oratione perseveravit. *Marul. lib.* 5. *c.* 7. *Sab. lib.* 10. *c.* 3.

Divus Bernardus fratri cuidam, quem propter latens crimen à communione suspenderat, accedenti, non quidem communionem negavit, sed Deum deprecatus est, ut hominis temeritatem castigaret. Mox ille Eucharistiam in ore retinuit, nec ad interiora traiicere potuit, donec fateretur delictum, & veniam peteret. Quo facto, sine difficultate deglutivit. *Auctor vitæ.*

## MORBOS TOLLERE, SANITATEM RESTITUERE.

☞ *Vide Tit. Morborum miro modo curatorum. Hic de morborum curatione in genere tantùm.*

B Jadon Propheta Bethel Hieroboam, Israelitarum Regem, idolo sacrificantem increpuit, adversa illi, familiæque ejus prædicens. Iratus Rex cùm manum extendisset, jussisset que apprehendi hominem, continuò arefactam retrahere nequivit. At ejus misertus vir Dei, pro ea manu Deum rogavit, pristinæque eam sanitati protinus restituit. *Marul. lib.* 3. *c.* 3. & *Sab. lib.* 5. *c.* 1. *ex* 3. *Reg.* 15. & *Joseph. lib.* 8. *c.* 9. *Antiq.*

Paulus Apostolus non verbo tantùm, & manuum attactu, sed & sudariis, aut semicinctiis suis, quæ ægrotis imponebantur, gravissimos morbos, atque etiam dæmoniacos Ephesi sanavit. *Actor.* 19.

Petrus Apostolus etiam umbra sua multos sanasse scribitur. *Actor.* 5.

*Theodoretus* narrat *lib.* 4. *cap.* 16. Barsis Episcopi Edesseni lectulum in Arado relictum, ægrotis in eum collocatis, pristinam valetudinem per fidem restituisse.

Cùm Divus Hilarion precibus suis triennalem siccitatem abegisset, in eremo circa Aphroditon urbem, siticulosa, arenosaque Regio, postquam pluviis irrigata est, tantam serpentum, & venenatorum animalium ex improviso multitudinem protulit, ut innumeri, nisi ad Hilarionem accurrissent, inte-
C rituri fuerint. At sumpto ab illo benedicto oleo, agricolæ, atque pastores tangentes vulnera, convaluere. *Hieronymus in ejus vita.*

Germanus Antisiodorensis Episcopus, cùm puella luminibus capta ipsi in Britannia esset oblata, Pelagianis ejusmodi curationem à se amolientibus, invocato Trinitatis numine capsulam Sanctorum reliquiis refertam oculis puellæ admovit, ac statim, tenebris cæcitatis expulsis, illuminavit. *Sigon. lib.* 12. *Imp. Occid.*

S. Martinus, Treveris puellam paralysi correptam liberavit: Tetradi proconsularis viri servum à dæmonio asseruit: in eadem urbe dæmones è coquo ejecit. Parisios ingressus, obvium ad portam leprosum, uno dumtaxat osculo, spectante turba, mundavit. Quartanariam Arborii puellam sola curavit epistola. Cilicii fimbriæ, devotione subtractæ, varius morbis medebantur. Paulino oculum, panniculi contactu, sublato dolore restituit. *Bonfin. lib.* 5. *Dec.* 1.

Lupus Trecassensium Episcopus, paralyticam divino verbo mulierem curavit: multos à diversis languoribus asseruit. *Bonfin. lib.* 4. *Dec.* 1.

D Davidis Scotiæ Regis filium aspersum aqua benedicta, Malachias Hibernia Archiepiscopus sanavit, adiiciens: Confide, fili, non morieris hac vice. *Auctor vitæ.*

In civitate Auxitanorum, quæ Vasconiæ metropolis est, miles quispiam multis diebus lecto decubuit. Ad quem cùm rumor signorum Divi Bernardi venisset, statuit ipsum invisere. Cùmque aliquot dierum iter confecisset, occurrit illi quidam in via, qui percontabatur, Quonam iter faceret, & qua de causa? Quæ ubi indicasset, jubetur domum redire, fore ut convalescat. Idque evenit. Bernardus per jocum dicere solebat: Hoc sibi sic imputandum sicut ei, qui conscius non fuerit, *Auct. vitæ lib.* 4. *cap.* 1. Ejusdem pileus Petro Asturensi Episcopo capitis dolores ademit. Cingulo ipsius ligatus hydropicus curatus est. Monachus quidam linguæ usu aliquamdiu privatus hausta aqua per Bernardum sacrata, & vino permixta, vocem recuperavit. *Auctor vitæ.*

*L.B. Theatr. vitæ Hum.* Thom. V.

Idem Spiræ à templo ad hospitium à Conrado Rege III. Germanorum deductus, puerum pedibus captum, qui curan- E
dus offerebatur, excepit, ac signatum ita dimisit, ut repentè exclamantibus omnibus signa recuperati gressus ostenderit. In sacello inde Episcopi, eodem præsente Rege, cæci oculos restituit, ac mutæ linguam in eloquium solvit: ac pauperculos quot à Rege ipso oblatos, signo Crucis facto, omnibus infirmitatibus liberavit. *Sigon. lib.* 11. *Regni Italici.*

*Gregor. Turonensis c.* 85. *de Gloria Confessorum*, de Sylvestri Cabillonensis Episcopi lectulo funibus ligato mira quædam narrat. Febricitantes positi subtus hunc lectum, recreati, & refocillati sunt. Multos dicit se vidisse, qui abscissis particulis de funibus lecti, cùm infirmos hisce tangerent, pristinæ restituerint valetudini. Matrem suam ait, particula abscissa de istis funibus, puellum febricitantem, cùm de collo suspenderet, sanasse.

Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus oratione pestilentiam sedavit. *Marul. lib.* 3. *c.* 3.

Antonius monachus ordinis Fratrum Minorum, cuidam confitenti, quòd ira concitatus patrem calce ferisset, calceum illam abscindi dignam dixit. Ille id pro peccato apponi ratus, domum abiens, pedem sibi amputavit. Posteà reversus, Cur claudicaret? cùm ab eodem rogaretur: Implevi, inquit, quod F
dignum judicasti. Obstupuit Antonius: & pro illo Deum precatus, membrum, quod mutilatum erat, restituit. *Marul. lib.* 4. *c.* 10. & *lib.* 2. *c.* 12. & *Fulgosus lib.* 6. *c.* 9.

Zosimas Phœnix: Eremita, oculum excussum nobili matronæ, Arcesilai uxori oratione restituit. *Evagr. lib.* 4. *c.* 7.

Veneranda Virgo, tortoris sui oculum bulloris aspergine cæcatum, terra saliva diluta liniens restituit, & ipsum tandem patientia superatum, Christo cedere compulit. *Marul. lib.* 3. *c.* 3. & *Sab. lib.* 5. *c.* 3.

Captiva mulier Christiana apud Iberos, precibus sanavit Iberum puerum, quem hinc inde frustra deportatum nemo sanare poterat. Et hæc occasio conversionis Iberorum. *Ruff. lib.* 1. *c.* 20. *Socrates lib.* 2. *c.* 20. & *Sozom. lib.* 2. *c.* 6.

### VENENA VINCERE.

Conradus Constantiensis Episcopus, araneum, calici sacro illapsum, sine noxa hausit.

Urbanus VI. Papa veneno acerrimo petitus, ut penè ab omnibus mors vicina esse crederetur, innixus verbo Evangelii: Si mortiferum, quid biberitis, non nocebit: liberatus est, G
non sine dolore maximo, sed sine adhibito remedio *Crantz. lib.* 10. *Metrop. c.* 14.

### VOCEM ADIMERE.

Alexander Episcopus Constantinopolitanus, Philosophorum multa obgannienti contra Christi fidem, silentium sola voce imposuit. *Sozom. lib.* 1. *c.* 18.

### MORBOS IMMITTERE.

Helisæus Giezi famulum perfidum, lepræ morbo, à qua Naaman Syrum liberarat, affecit, 3. *Reg.* 17.

Alexander Episcopus Constantinopolitanus Philosophorum principi, cum quo jussu Constantini Magni disputare debebat, in nomine Jesu Christi præcepit, ne loqueretur, Et ille repentè obmutuit.

Domitianus, Tungrorum Episcopus, seculo sexto post Christum in Synodo Aurelianensi elata manu hæreticos excæcavit.

Marcus è Jesuatorum ordine Patavii (idiotæ fuit illi, manuum labore, horti vineæq; cultu, & elemosynis vivunt) forum H
stirpis causa circumiens vimina salignà à rustico in eleemosynam petebat. Improbus ille per jocum uti fascem vicini sui non animadvertentis secum, si vellet, auferret, innuit. Paruit ille, rem seriam esse putans. Rusticus alter, ubi illum se inconsulto fascem asportare, vidit, hominem cõfectatus, baculoque percussum, furti insimulavit. Marcus abjecto fasce mutus discessit. Quem cùm rusticus tollere vellet, brachium obtorpescere sentit, factique pœnitens, quantocyùs potuit Marcum adiit, supplex peccati veniam petit, & precibus Marci sanitatem recuperavit. *Bern. Scard. lib.* 2. *class.* 6. *Hist. Patavinæ.*

### A MORTUIS EXCITARE, SIVE *Homines.*

☞ *Vide Tit. Mortui resuscitati. Tit. de Morte: & paulò ante. Illic Patientium, hic Agentium habetur ratio.*

Helias Sareptanæ viduæ filium resuscitavit. *Eusebius de Prophetis. Ex lib.* 4. *Reg.*

Helifæus mortuus solo attactu mortuum resuscitavit, 3.
A *Reg.*18.

Ad Matthæi Apostoli preces, Egippi Æthiopum Regis filius, qui fuerat mortuus, surrexit vivus: mortique pariter, & diabolo ereptus, Christo vivere cœpit, contemptis idolis baptismum suscipiens, ac Deo credens. *Marul.lib.2.c.4.& Sab.lib.1.cap.5.*

D. Germanus Turnuduri mortuum, qui se è Britannia sequutus fuerat, discipulum excitavit, eumque rogavit, anne secum ulterius militare vellet? Respondet is: Sat sibi esse militatum, seque cumulatissimis militiæ præmiis perfrui: proinde orare se missione donaret. Quiesce (Germanus, inquit) ac vale. Ergo deposito capite in Domino obdormivit. *Bonfinius lib.4. Decad.1.*

Fridolinus Viator, Ursum Claronensem, defunctum, ut sibi adversùs fratrem ejus Landulphum, donatam ab eo hæreditatem negantem, testimonium in foro diceret, resuscitavit, secumque ex Clarona ad pagum Rheticum Rancquil per sex milliaria deduxit, qui coram Lantgravio de injuria cum fratre Landulpho expostularet. Quo miraculo Landulphus territus, suam & ipse partem hæreditatis Fridolino donavit.

Maurilius Andegavensis Episcopus, puerum baptizandum,
B at inter sacrificandum mortuum, post septennium à morte resuscitavit, baptizavitque. *Marul.lib.4.c.10.& lib.2.c.12.& Fulgosus lib.6.c.9.*

Anatolia virgo, Audacem (à quo angusto carceri cum terribili serpente inclusa erat) cùm is ostium postmodum reseraset, morsu, & sinuoso spirarum volumine extinctum à serpente, oratione sua vitæ restituit. *Marul.lib.3.c.3.& Sabell. lib.5.cap.3.*

Christina virgo, & martyr (cùm pro fide, & veritate præter alios horrendos cruciatus etiam serpentes in eam missi fuissent, sed mordere omnino nollent: veneficum autem, à quo irritabantur, rabidis ictibus interemissent) Christum precata, & serpentes in fugam convertit, & ab eis peremptum ad vitam revocavit, & eundem jam credentem ad certam beatitudinis spem erexit. *Marul.lib.3.c.3.& Sabell.lib.5.c.3.*

### Bruta.

Sylvester Papa, cùm diù pro religione Christiana adversùs Pharisæos ex jussu Helenæ Constantini Imper. matris Romæ disputasset, ventumque esset ad miracula: Judæus Mambri
C magus taurum ferocissimum magicis incantationibus interfecit. At hunc eundem Sylvester vivum, & mansuetum reddidit: quod ille efficere nequibat. *Marul.lib.2.c.7. Cedrenus in Histor.compendio,& Surius tom.6.die 31. Decemb.*

D. Germanus, Gallorum Episcopus, cum Ravennæ moram traheret, à Placidia ad convivium invitatus, asello suo in regiam vectus. Inter epulas rumor advenit, asellum improvisa morte sublatum esse. Regina pro asello pulcherrimum, & mansuetum equum adduci jussit. Germanus verò asellum afferri petit. Allatum, humique jacentem videns: Surge (inquit) Muscio, & ad hospitium revertamur. Ad hæc verba, veluti somno excussus, surrexit asellus, ac dominum ad hospitium retulit. *Bonfinius lib.4.Dec.1.*

### Cadavera a Putredine præservare.

Cùm Sueno Danię Rex, tum in suos subditos, Christianam doctrinam amplectentes, tum in vicinas gentes ferro, & igni saviret, nec precibus, aut muneribus placari posset: Libentius
D Hamburgensis Archiepiscopus, gladium Ecclesię distringens, effecit, ut per annos 70. sit integer in sepulcro repertus: donec Adeluardi ministerio, quem Albertus Hamburgensis Archiepiscopus misit, solveretur à vinculis. Solutione facta, in cineres redactus est: ut ait *Cranz.lib.3.Metr.42.& 48.*

### Cadavera Resolvere.

Adeluardus, Sueonum Apostulus, à Rege Norvegiæ Haraldo (Olavi martyris, olim Regis, frater) invitatus, in Norvegiam navigavit, & inter alia religionis officia, cum ad tumulum hominis ante 60. annos defuncti perduceretur, stupente populo, cùm adhuc integrum hominis cadaver cerneretur: in spiritu cognovit, cum excommunicationis maledicto teneri laqueatum. Erat autem ex iis, qui senioris Libentii Archiepiscopi Hamburgensis tempore, ditionem Bremensis Ecclesię depopulati fuerant: quos Libentius maledictionis gladio ferierat. Cùmq; interposita prece Pontificis Adeluardi absolveretur, mox solutus in cinerem recidit. *Cranz.l.4.Metrop.c.33.*

### Interficere. Mortem Immittere. E

Georgius Ponticus, Judæum mortuum se simulantem, revera mortuum fecit. Pestilentiam quibusdam infidelibus immisit. *Niceph.lib.6.c.17.*

Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, clericum quendam fani S. Eleutherii malè viventem, cùm sæpè objurgasset, neq; tamen inflectere posset, rem ad sanctum Eleutherium detulit, eum in suo templo cujusdam ministri ejus opera, sic alloquens: Dive Martyr Eleutheri, aut corrige clericum tuum, aut exscinde. Illicò Clericus expiravit. *Cedrenus.*

### Dæmones ad Officium Cogere.

S. Cunegundis Imperatrix, Henrici II. uxor, dæmonem stupendæ molis marmoreos lapides ad Bambergensis Templi extructionem comportare coegit. Pelvim quoq; nummis plenam in medium posuit, un de nemo operariorum, præter justam laborum mercedem, quicquam auferre potuit. *Chronicon Saxoniæ.*

### Ignem excitare. F

S. Genovepha, cùm in sabbatho sub gallicinio ad Divi Dionysii basilicam egrederetur, ecce funale prælatum extinguitur: turbantur virgines, comitesque ejus, ne quid per noctem turpitudinis, horrorisve paterentur. At illa funale sibi dari jubet. Quod ubi in sacra manu constitit, protinus incensum elucxit, admotumque languentibus plerosque curavit. *Bonfin. lib.5.Dec.1.*

### Dæmones pellere.
*E Loco, è Statuis.*

B. Joannes Evangelista superato veneno, dæmonem in Dianæ templo ducentos, & quadraginta novem annos commoratum, his verbis loco expulit: Interdico tibi in nomine Jesu Christi Nazareni, ne ultrà hic habites, & confestim decessit Ephesò. Quocirca jussu Domitiani in Pathmon Insulam exul deportatus est. *Abdias.*

In nomine Christi Simon Apostolus simulacrum Solis comminuit: & Judas Lunæ, dæmonibus inde visibiliter Æthiopum forma expulsis. Dæmonem ex Solis idolo fugavit Divus Thomas: draconem sub Martis statua in Scythia exeuntem profligavit Philippus Apostolus: septem dæmones similitudine canum inter monumenta commorantes secus viam, prætereuntesque graviter lædentes, abegit Divus Andreas. *Ab-* G
*dias de Historia Apostolorum.* Sic in Capitolio draconem clausisse Sylvestrum, & Philippum Leviathan fugasse, traditur.

Gregorius Ponticus dæmonem in Apollinis ædem, sua præsentia fugatum, per epistolam redire jussit. *Ruffinus.*

*D.Aug.lib.22.de Civit.Dei.c.8.* cùm aliquot miracula recitasset, quæ ideò edita sint, ut homines in Christum credant, ponit talem historiam: Vir tribunitius Hesperius in territorio Fussalensi fundum habens, Cubedi appellatum, ubi cum affectione animalium, & servorum suorum, domum suam spiritum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit Hipponenses presbyteros, ut aliquis eorum eo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit Unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans ut cessaret illa vexatio. Deo protinus miserante cessavit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo ne quid mali etiam pateretur.

Vvistanus Vigornienfis Episcopus, diabolum sæpè ad lu- H
ctam provocavit, eumque prostravisse fertur. At quoties in eum diabolus regii satellitis formam præ se ferens intueretur, totus expallescebat. *Ranulp. lib.7.Polychronici.*

In agro Furensi diabolus, qui Gerardum Bethaniæ ducem mentiebatur, multisque hominibus suis præstigiis molestus erat, à Rodulpho diacono adjuratus est, ut dæmonem se esse fateri cogeretur. *Chronicon. Flandriæ.*

*Ex Hominibus.*

☞ *Vide Tit. Dæmoniaci curati.*

Cùm in Thietmasia sub Archipræsule Hartuico solemnis Missarum faceret Evermodus Episcopus Raceburgensis, accidit, ut homicidium fieret. Episcopus interea populum erudiens, inter alia de divino præcepto charitatis inferuit, cum in oratione Dominica postulemus, dimitti nobis, quemadmodum, & nos dimittimus. Conversus in illum, ad quem occisi

pro



proxima pertinebat injuria, orabat, ut culpam remitteret oc-
A cisori. Ubi ille non moveretur, defendit ex ambone Pontifex, & sacris réliquiis in manu gestatis procidit ad pedes ejus, orans veniam occisori. Ille per Deum, & quicquid est sanctum jurat, nunquam se dimissurum. Exsurgit Pontifex, & contemnenti benedictionem alapam durissimè infixit. Ille manibus statim conjunctis veniam concessit. Itaque per alapam vir sanctus dæmonem, qui cor ejus tenebat astrictum, effugavit. *Cranzius lib.5. Vandalię, c.ult.*

Virgo quædam, Imma nomine, graviter à demonio vexata, ad Vicelinum Episcopum Aldeburgensem in Vandalia perducta est. Qui cum interrogaret ex spiritu. Cur vas incorruptum temerare præsumpsisset? respondit. Quia ter me offendit. Bis enim fures ad perfodiendam domum missos ipsa clamore suo absterruit. Nunc quoque legatione principis nostri in Daniam functurus, videns hanc in via, tertio offensus, in eam sum ingressus. Sed cum vir Dei conjuraret eum, ait: Cur expellis paratum ultrò egredi? jam enim abibo ad proximam villam visitaturus sodales meos, qui illic latent: hoc enim in mandatis accepi, priusquam in Daniam proficiscar. Quod tibi est nomen? rogat Vicelinus, aut qui socii
B tui? vel cum quibus habitant? Ego, inquit, Ruffinus vocor: unus sociorum meorum est cum Rotesto, alter cum muliere quadam ejusdem oppidi. Hos hodie visitabo: cras, priusquam prima pulsata fuerit, huc valedicturus revertar, & tunc in Daniam proficiscar. Et hæc dicens virginem dimisit. Jussit eam Vicelinus refici, & crastina ante horam primam reduci in Ecclesiam. Quam cum manè parentes ad Ecclesiam ducerent, priusquam limen calcarent, prima pulsari, & virgo cœpit vexari; nec tamen Vicelinus prius abstitit, quàm idem spiritus potentia Dei fugatus abscessit. Rodestus brevi maligno spiritu correptus, laqueo semetipsum strangulavit. In Dania quoque occiso Erico Rege, perturbatio gravis orta est. *Cranzius lib.6.Metrop.c.26.*

*E Brutis.*

☞ *Vide Tit. Bruta cicurare.*

Ad Hilarionem bruta quoque animalia quotidie pertrahebantur, in quibus Bactrum camelum enormis magnitudinis, qui jam multos obtriverat, triginta & eo amplius viri solidissimis funibus ligatum, cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, spumabat os, volubilis lingua tufgebat, & super
C omnem terrorem, rugitus personabat immanis. Jussit igitur eum dimitti senex; statim verò & qui adduxerant, & qui cum sene erant, usque ad unum omnes diffugere. Porrò. Ille solus perrexit obviàm, & intra annos trecentos eò non rediisse feruntur.

Benno Osnaburgensis Episcopus, sua diœcesi glitribus interdixit: qui intra annos trecentos eò non rediisse feruntur.

Martinus Dalmata eremita, ursum, qui ei asellum interfecerat, mansuefecit, eumque asini vices subire, & ad cellam usque fe deferre jussit. Bestia dorsum homini præbuit, quæ asello antè non pepercerat. *Maurul.lib.4.c.5.*

Florentinus Nursiæ eremita ursum cicuravit. *Marulus, lib.2. cap.5.*

Brigida virgo, aprum ferocissimum, qui in pecudum gregem irruerat, adeò mitem reddidit, ut eidem gregi ipsum præfecerit pastorem. *Marulus lib.4.c.5.*

Paulus monachus Britannus, ab Elduco Abbate segetis maturescentis custodiæ præfectus, cùm graculorum agmen eò delapsum depascere cœpisset agrum, eis in nomine Domini, ne avolarent, præcepit: & non secus atque quadrupedes ante fe ad Abbatem egit. Quo admirante, quid hoc sibi vellet? Frumenti se vastatores ad illum adduxisse, ut pro culpa punirentur, respondit. At ille protinus illæsos dimitti jussit. *Marul. lib.5.cap.3.& Sabell.lib.5.cap.7.* H

### Hostes Profligare, Domare, Placare.

☞ *Consule Tit. Bella divinitus confecta, Ex loco de Bello.*

Benadad Syriæ Rex magnam manum equitum miserat, qui Elisæum Prophetam Dotanæ comprehenderent: cum enim omnia sua secreta consilia Israelitarum Regi indicare sciebat. Manè Elisæus per medios hostes egressus, ut se sequerentur jussit, cæcitateque illis incussa in mediam duxit Samariam. Joram autem Rege eos tanquam hostes vincere, & interficere volente, prohibuit, utque eos convivio exceptos dimitteret, imperavit. *Libro.4.Reg.c.6.*

Jacobus Nisibenus Episcopus sub Constantino miraculorum dono clarus, Saporis Persarum Regis Nisiben obsidentis

Ll 4 exercitum

exercitum, crabronum, & culicum æciè divinitùs impetrata, profligavit. *Vide Tit. Theologorum quarti sæculi.*

Oneraria navi Beatus Hilarion è Dalmatia in Cyprum vehebatur. Cùm inter Maleam, & Cytheram piratæ, derelicta classe, in litore, quæ non antenna, sed conto regitur duobus haud parvis myoparonibus occurrissent, & denuò hinc inde fluctus occurrerent, remiges omnes, qui in navi erant, trepidare, flere, discurrere, præparare contos, & quasi non sufficeret unus nuncius, certatim Hilarioni piratas adesse dicebant. Quos ille procul intuens subrisit, & conversus ad discipulos dixit: Modicæ, inquit, fidei quare trepidatis? Nunquid plures sunt quàm Pharaonis exercitus? tamen omnes Deo volente submersi sunt. Loquebatur hic, & nihilominus spumantibus rostris hostiles turmæ imminebant, jactu tantùm lapidis medio. Stetit ergo in prora navis, & porrecta contra venientes manu, Huculque (ait) venisse sufficiat. O mira rerum fides! statim resiluere navicularæ, & impellentibus contra remis, ad puppim impetus redit. Mirabantur piratæ post tergum se redire nolentes: totoque corporis nixu, ut ad navigium pervenirent laborantes, velociùs multò, quàm venerant, ad littus ferebantur. *Hieronymus in vita Hilarionis.*

Armoricanos, qui defecerant, Actius Valentiani III. dux, aliis curis implicitus, Eocharico Alemanorum Regi subigendos tradidit. Is validissimo comparato exercitu, castra in eos promovit. Armoricani, ubi tantam in se ruentem molem viderunt, ad Germanum Antisiodorensem Episcopum confugerunt, eumque, ut incolumitatem sibi procuraret, orarunt. Paruit eorum voluntati Germanus, ac Regem, progressus obviàm, cum exercitu consistere, manu freno equi injecta, coegit, eumque ut pacem populo daret, admonuit. Ille rem ad Actium, Actius ad Valentinianum rejecit. Germanus ad Valentinianum Ravennam iter ingressus, ibi obiit. *Sigon. l.13. Imp. occid.*

Oppressi à Pictis, atque Scotis Britanni, reliquis abscissis auxiliis legatos ad Actium Valentiniani III. Ducem in Galliam opem implorantes miserunt, atque ab eo vetus legionis auxilium impetrarunt. Cæterùm cùm in castra compulsi vires suas hostibus impares judicarent: Sanctorum, qui tum in insula erant, præsidium invocarunt, qui advenientes tantum alacritatis omnibus ejecerunt, ut maximi accessisse vires exercitus crederent. Hostes autem, cùm per dies Quadragesimæ exercitum salutari lavacro à sacerdotibus accipiendo intentum audissent, locum sibi eos aggrediendi tanquam inermes datum rati, post Pascha in aciem processerunt. Dux erat Britannis Germanus, is quosdam in insidiis collocatos monuit, ut vocem suam attenderent, atque editam ingenti clamore repeterent. Ubi verò hostes adventare, ab exploratoribus didicit, clara voce ter Alleluja inclamavit. Quam cùm occulta cohors excepisset, tantum hostibus terroris incussit, ut abjectis armis in fugam se tradiderint. *Sigonius lib.12. Imp. occid.*

Sigebertus narrat, Metensem Episcopum Auctorem captum ab Hunnis, Duce Attila: verùm cæcitate ipsis percussis subita, cum aliis civibus elapsum fuisse.

Attila Italiam vastante, Valentinianus II. de pace legatum ad eum misit Leonem Pontificem, hominem non majestate solùm, sed etiam ætate venerabilem: adjectis mandatis, ut quacunque conditione posset, Attilam non solùm à progressione averteret, sed etiam ad Italiam primo quoque tempore relinquendam impelleret. Ille comitatu honestissimo sumpto, quàm maxima potuit ad eum celeritate contendit: nactusque ipsum ad Mincium, ut proximè, confidentem, ac læva adhuc secum de petenda Roma consilia volutantem, te venisse à Valentiniano legatum ostendit: hominemque ferum, atque ab omni religione aversum, gravi divinæ justitiæ commemoratione adeò permulsit, ut ipsum adhuc quibusdam quasi facibus inflammatum ad cupiditatem scelerati facinoris obeundam, promisso annuo tributo, ab ejusmodi consilio revocarit. Additur res auditu mirabilis. Attilam non tam gravissima Leonis oratione placatum, quàm aspectu alterius viri, Leoni à tergo assistentis, atque ipsi gladium, ni obedientem se gereret, intentantis, fuisse perculsum, quod ipse posteà diserte confessus est. Nam, cùm à suis reprehenderetur, quòd tam facilè Pontificis Romani nutui, auctoritatique cessisset, respondit, Non se illum fuisse reveritum, sed alterum pone illum in habitu sacerdotali astantem, forma augusta, & canicie venerabili præditum, & districto gladio, sibi mortem, ni dicto audiens esset, acerrimè minitantem, illum autem Petrum principem Apostolorum fuisse crediderunt. Vulgò etiam inter Hunnos sermo increbuit, Attilæ ferociam à duabus tandem feris perdomitam, Lupo in Gallia, & Leone in Italia, cùm Lupum Tricassinum Episcopum, & Pontificem significare Leonem vellet. *Sigonius l.13. Imp. occid.*

Cùm Dani, & Normanni in toto Francorum regno immaniter debaccharentur, contigit eos ad Norduidam Frisiæ pagũ pervenire, qui in remotis, ac mari magno vicinis locis situs est. Erat ibi Rembertus Episcopus Ripensis in Dania (inde Archiepiscopus Hamburgensis) cujus adhortationibus confirmati Christiani, cum hostibus congressi, prostraverunt ex illis XMCCCLXXIIX. plures etiam, dum fugæ quærunt præsidium, in transitu fluviorum necati. Collis, in quo vir sanctus oravit, dum pugnaretur, perpetua cespitis viriditate notatus est. *Crantzius l.2. Metrop. c.10.*

Leo IV. Papa Saracenorum naves, excitata precibus tempestate, in mari submersit.

### Victoriam Curulem conciliare.

Italicus Majoni oppidi municeps Christianus, adversùs Gazensem duumvirum, Marnæ idolo deditum, Circenses quos nutriebat. Hoc siquidem in Romanis urbibus jam inde servatur à Romulo, ut propter felicem Sabinarum raptum, ab ipso Conso, quasi consiliorum Deo, quadrigæ septeno currant circuitu: & equos partis adversæ stregisse, victoria sit. Hic itaque, æmulo suo habente maleficum, qui dæmonicis quibusdam imprecationibus hujus impediret equos, & illius incitaret ad cursum, venit ad beatum Hilarionem, & non tam adversarium lædi, quàm se defendi obsecrabat. Ineptum visum est venerando seni, in hujusce modi nugis orationem perdere. Cùmque subrideret, & diceret: Cur ergo non magis equorum precium pro salute animæ tuæ pauperibus erogas? Ille respondit, Functionem esse publicam, & hoc non tam se velle, quàm cogi: nec posse hominem Christianum uti magicis artibus, sed à servo Christi potius auxilium petere, maximè contra Gazenses adversarios Dei, & non tam sibi quàm Ecclesiæ Christi insultantes. Rogatus ergo à fratribus, qui aderant, scyphum fictilem, quo bibere consueverat, aqua jussit impleri, eique tradi. Quem cùm accepisset Italicus, stabulum, & equos, & aurigas suos, rhedam, carcerumque repagula aspersit. Mira vulgi expectatio: nam & adversarius hoc ipsum irridens diffamaverat, & fautores Italici sibi certam victoriam pollicentes exultabant. Igitur dato signo hi advolant, isti præpediuntur. Sub horum curru rotæ fervent, illi prætervolantium, terga vix cernunt. Clamor fit vulgi maximus: ita ut ethnici quoque ipsi concreparent. Marnas victus à Christo est. *Hieronymus in vita Hilarionis.*

### Formam mutare.

Gregorius Ponticus in arborem seipsum convertit. *Nicephorus l.6. c.17.*

D. Hilarion puellam in aquam mutatam, & à parentibus adductam, pristinæ formæ reddidisse, scribitur à *D. Hieronymo.*

### Ignem coelitus elicere.

Helias Propheta ignem de cœlo contra impios Ochoziæ milites devocavit. 4. *Regum.* 1. Et rursus ad holocaustum absumendum.

### Ab Igne non lædi.

*Vide Tit. Divinationis per ignem.*

Cùm in hospitio, in quo D. Germanus Antisiodorensis Episcopus in Britannia ægrotans jacebat, grave casu excitatum H esset incendium, illud vehementius homines movit, quoque acris hominum sedulitas custodiverat, omnia vis ignis exhausit: quæ verò vir sanctus tetigit, ipsa omninò flamma non læsit. *Sigonius l.12. Imp. occid.*

### Incendia restinguere.

Claudianus Mamercus, Episcopus Viennensis ædis sacræ incendium solis precibus restinxit.

Marcellinus Anconitanus Episcopus podagra affectus, manibus gestatus alienis, urbis incendium ex adverso se obiciens de repentè cessare fecit, tam potens virtute, cùm pedibus tam debilis esset. *Greg. l.1. Dialog. c.6.*

Cæsarius Arelatensis Episcopus, à Rege Alarico indicta causa Burdegalam relatus, cùm nocte quadam ingens sortè conflatum incendium esset, precibus civium fatigatus, ignem tum, cùm maximè sæviebat, precatione ad Deum facta restinxit: ex quo ingentibus ab omnibus cumulatus est laudibus. *Sigon. l.16. Imp. Occid.*



In maximo incendio urbis Constantinopolitanæ, cùm ad templum Osij Novatianorum, plurimis magnificentissimis ædificiis absumptis, ignis pertigisset: Paulus Episcopus insiliens ad altare, sola oratione, irrumpentibus per fenestras, & januas omnes flammis magna vi, templum servavit illæsum: adeò ut ædificiis omnibus circumquaque templo vicinis exustis, in tabulatis, ac parietibus ejus deprehendi posset. *Socrates lib.7. c.39.*

Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus, cùm Romæ omnibus bonis exutus, & urbe ejectus fuisset repentino tecta incendio conflagrare cœpere. Quare revocatus fuit, suaque oratione incendium restinxit. *Maurul. lib.3. c.3.*

D. Martinus Turonensis Episcopus, cùm in monasterio quodam suæ diœcesis hora quiescendi cellam ingressus esset, cubiculo apparatiis instructo offensus, stragula, paleasque evertit: & in nudis tabulis (sicut vestitus erat) sese collocavit: jamque delibutis leni sopore membris quiescebat, cùm stramenta, quæ ejecerat, igni succensa jacentem excitarunt. Illicò exsurgens, ac trepidans, cùm cellæ exitum, per B quem effugeret, fumo omnia involvente, non invenisset, ad orationem se vertit. Mox flammæ vis illa omnis extincta, fumusque consumptus, illæsum reliquerunt. *Mar. lib.1. c.10. & Sub. lib.2. c.2.*

Leo IV. Papa incendium ligno crucis extinxit, quod diù per domos Saxonum, & Longobardorum vagatum D. Petri Basilicæ appropinquabat, octava die ab Assumptione Beatæ Dei Genitricis, qui dies posteà, ut festus celebratus est, non longè à Basilica Laurentii martyris extra mœnia. *Platina, & Sig. lib.5. regni Italici.*

Temporibus Calixti Papæ, Capuana urbs conflagravit incendio: cùmque ferè consumpta urbe, Monasterio ignis jam imminere videretur, Monachi sumpto corporali calicis, incendio illud objecerunt. Mirum in modum coercitus ignis ultrà progredi ausus non est. Civibus quoque visum est, ignem manu quadam à Monasterio propelli. Corporale illud ab ignis injuria prorsus mansit illæsum. *Chron. Cassinense, lib.4. c.74.*

### Ab Aqua Ferventi non lædi.

*Consule Tit. Divinationis per Aquam ferventem.*

### C Tempestatem, Imbrem, Inundationem, compescere.

Terræmotu totius orbis, qui post Juliani Apostatæ mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos quasi rursum Deus diluvium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naves ad prærupta de latere montium pependerunt. Quod cùm viderent Epidauritani, frementes fluctus, & undarum moles, & montes gurgitum litoribus inferre, verentes quod jam evenisse cernebant, ne oppidum funditùs subverteretur, ingressi sunt ad D. Hilarionem, & quasi ad prælium proficiscentes, posuerunt eum in litore. Qui cùm tria crucis signa pinxisset in sabulo, manuque contra tenderet, incredibile dictu est in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit: ac diù fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est. Hoc Epidaurus, & omnis illa Regio usque hodiè prædicat, matresque docent liberos suos ad memoriam in posteros transmittendam. *Hieron. in vita Hilar.*

Romualdus Abbas, cùm à Parentio Liburniæ oppido solvens navigaret, & navis magnis fluctibus jactaretur, omnesque, qui cùm eo erant, de salute desperarent, oratione tempe- D statem compescuit. *Maurul. lib. 2. c.2.*

Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus in Gallia concionans populum ab imbre vehementissimo, ne madesceret, defendit. *Maurul. lib.3. c.4.*

Germano Antisiodorense, & Lupo Tricassino Episcopis in Angliam contra Pelagianos navigantibus, cùm navis tempestate propè obrueretur, Germanus Christi nomine implorato, atque aquæ aspergine accepto, in nomine Sanctæ Trinitatis ventos furentes compescuit. *Sig. lib. 12. Imp. occid.*

### Imbres impetrare.

Helia Propheta, cùm per integrum triennium sub Achab Rege non pluisset, imbrem cæsis Baalitis impetravit.

Vilfridus Lindesarnensis Episcopus, Australes Saxones à siccitate triennali precibus liberavit, circa an. Salut. 700.

Morabatur in eremo prope Aphroditon urbem D. Hilarion. Triennium erat, quòd clausum cœlum terras arefecerat: ut vulgò dicerent, D. Antonii mortem etiam elementa lugere. Non latuit fama Hilarionis accolas quoque illius loci, E & certatim virilis, ac muliebris sexus, ora luridi, & attenuati fame pluvias à servo Christi, id est, à Beati Antonii successore precabantur. Quos ille cernens mirè doluit: elevatisque in cœlum oculis, & utrasque in sublime erigens palmas, statim impetravit, quod rogaverant. *Hieron. in ejus vita.*

Andonius in Hispania imbre excitato, cùm ea terra per septem annos pluviam non sensisset, multos convertit. *Vol. lib.12. & Vinc. lib. 23. c.29.*

Adelbertus II. Pragensis Episcopus, Roma evocatus à Boleslao II. Boemorum Rege, quò mores Boemorum impios exosus confugerat, cùm Gaudentio in Pannoniam venit, Stephanum ducem convertit. Comitatu inauctior, cùm sex fratres cum Roma subsecuti assecuti essent, in Bocmiam summa siccitate laborantem ingressus, tantùm repentè imbrium copiam secum attulit, ut pleraque loca stagnaverint: manetque etiamnum in ea gente proverbium, sensim Germanis communicatum, si quando vitos Religiosos iter facere videant, pluiturum ea die, posteaquam Monachi peregrinentur. *Dubr. lib.6.*

### AB IMBRE CONSERVARE. F

Cùm D. Bernardus aliquando sub divo Gulielmo (qui postea Rievallis primus Abbas fuit) literas dictaret, ad Robertum nepotem (qui de Cisterciensi ordine ad Cluniacenses transiverat) largusque imber decideret, nullam sensit charta injuriam. *Auctor vitæ.*

### AQUAM ELICERE.

Antonius Martyr Apameæ passus, cùm de via fatigatus sitiret, & arentis loci solum nullis rigaretur aquis, preces ad Deum fudit, virga humum perculit, atque inde fons emanavit: cujus potu refocillatus, jam confidentius ad martyrium cucurrit. *Mar. lib.4. c.2.*

D. Franciscus, dum rustici cujusdam sitim in solitudine miseretur, procumbens Dominum deprecatus est: moxque humus fonticulum emisit, cujus haustu rusticus, qui moribundus sicco ore anhelabat, recreatus vixit, *Mar. lib.4. c.2.*

Dedicabat aliquando Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiam quandam: & cùm aqua ibi deficeret, baculo terram feriit; moxque largissima effluxit aqua: quæ hodiè usque manans, nomen celebre facit. *Vinc. lib.24.*

Basolus Rhemensis Abbas in Galliæ partibus, dum montem solitarius incoleret, nec aquam haberet, Deum preca- G tus, fontem de rupe manare fecit, qui etiamnum fluere dicitur, *Maurul. lib.4. c.2.*

B. Judochus Monachus ex arido solo baculo terram percutiens aquam elicuit, cùm Haimo dux in venatione sitiret. *Pet. de Nat. lib.1. c.65. & Vincent. lib.24. c.205. & 206.*

S. Donatus Eureæ in Epiro Antistes, cùm aliquando ex itinere fessus comites aquæ penuria languentes conspicatus esset: primùm Deum precatus, deinde terram manu fodit, atque illicò fontem aquæ vivæ produxit. *Nicepb. lib.12. cap.45.*

### AQUAM CORRIGERE, MUTARE, CONVERTERE.

Ad urbem Jericho largissimus fons, est rigandisque arvis uberrimus, juxta veterem scaturiens civitatem: quam Jesus Nave filius, Hebræorum ductor, primam in Chananæorum terra bello possederat. Hunc fontem aliquando ferunt non solùm terræ, atque lignorum fructus, sed etiam fœminarum partum obtundere solitum, cunctaque pariter morbo, ac peste corrumpere. Posteà verò mansuevisse, con- H traque saluberrimum, ac feracissimum esse factum ab Helisæo Propheta, qui Heliæ notus fuerat, atque successerat. Receptus enim hospitio ab Hierichuntinis habitatoribus, quòd humaniores eos expertus erat, ipsos, & omnem illam regionem perpetua gratia muneratus est: progressusque ad fontem, lagenam fictilem novam salis plenam in profluentem aquam misit. Juxta deinde ad cœlum dextram tendens, fontique immergens blanda libamina, ipsum quidem precabatur, ut fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret: Deum verò, ut fœcundioribus auris flumina temperaret orabat: tamque ubertatem fructuum, quàm successionem prolis daret indignis, nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad justi manerent. Ad has preces ex disciplina manibus quoque multa operatus, fontem immutavit: & qui anteà causa erat his orbitatis, ac famis, idem victus, ac fœcunditatis auctor est effectus. Denique rigationis ejus tanta potentia est, ut si attigerit

attigerit modò terram, fapidior fit, aquis diù perfeverantibus: A unde eo quæ largiùs utuntur, exiguum emolumentum habent, quæ verò parcius, plurimum. Amplius tamen, quàm cæteri fontes, fpatium rigat, & feptuaginta quidem ftadiis longam, viginti autem latam planiciem permeat. *Jofephus lib.* 5. *cap.* 4. *belli Jud. ex* 4. *Regum* 2.

Narciffus Hierofolymitanus Epifcopus, cùm Pafchatis die oleum defeciffet, aquam loco olei in ufum luminum infundi juffit. Quæ quamprimùm in oleum verfa, fic eft accenfa, ut omnibus fpectaculo effet. *Egn. lib.* 8. *c.* 1.

Iffridus Raceburgenfis in Vandalia Epifcopus miracula etiam non cogitans fecit. Jufferat facra die Parafceves à miniftro aquam afferri pro potu. Allatam guftavit, torvoque vultu: An non, inquit, jufli, ut aquam afferres, non vinum? Territus ille, fanctè affirmavit, aquam fe attulifle de fonte. Juffit iterùm haurire, & tertiò haurire, & idem provenit. Tum refolutus in lachrymas, oculos in cœlum fuftulit: Quando, inquit, tua voluntate, mirifice creavor, creatura mutatur, cedo quia jubes, ecce in die paffionis Filii tui fumo, quod præftas. Monftrant hodiè fontem juxta domum thefaurariæ in Raceburg, unde hauftа fuit aqua. *Crantz.* B *lib.* 6. *Metrop. c.* 4.

LOCA PERICULOSA TRANSIRE.

Vulftanus Vigorienfis Epifcopus in Anglia in fummitatibus ruinarum intrepidus ambulabat, pontes etiam factos eques tranfibat. *Ranulfus lib.* 7. *Polychronici.*

FLUMINA SUPERARE, SISTERE, DERIVARE.

Moyfes mare rubrum, *Exod.* 14. Jofue Jordanem, *Iofue* 3. miraculosè diviferunt.

Helifæus, rapto Helia in cœlum, ejus lænam, quæ ab illo deciderat, fuftulit, Jordanem ea feriens, divifo fluvio per ficcum trajecit. 4. *Reg.* 2.

Gregorius Ponticus impetum Lyci fluminis, defixo in illud fuo fcipione, fedavit. *Nicephorus lib.* 6. *cap.* 1. Idem locum in aridam convertit. *Ruffinus.*

Sabinus Placentinus Epifcopus Pado agros vaftanti fchedam injecit, his notis: Præcipio tibi in nomine Jefu Chrifti, ut de alveo tuo in locis iftis ulteriùs non exeas, nec terras Ecclefiæ lædere præfumas. Et mox inundatio ceffavit.

C Fridolinus Viator, cùm infulam Rheni, ubi nunc Saccingum oppidum eft, à Clodoveo Rege Gallorum dono accepiffet, & poft Regis mortem incolæ rurfus tumultuarentur, precibus à Deo Rhenum miraculosè à dextero in finiftrum alveum derivavit, ut fibi contra Ethnicos propugnaculum fieret. Quo miraculo incolas convertit.

Conradus Conftantienfis Epifcopus in lacu Acronio ficcis pedibus ambulavit.

Joan. Epifcopus Bergomenfis fub Artiperto Rege Longobardorum, tantæ fanctitatis, ut aliquando cum Mediolano Bergomum fe referret, Abduam amnem ficcis pedibus pertranfiverit. *Sig. lib.* 2. *regni Ital.*

Maurus Romanus D. Benedicti difcipulus, miffus in Gallias ad inftituendos monachos ordinis S. Benedicti, fuper aquas ambulavit, puero fubmerfo opem laturus. *Greg. lib.* 2. *Dial. cap.* 7. *&* *Vinc. lib.* 21. *cap.* 68. *Ivo, &* *Martinus Polonus.*

Nazarius, & Celfus martyres in mare præcipitati fuper undas ambulaverunt. Quos deturbatores, orta ftatim tempeftate, cùm confpexiffent, ut fibi fubvenirent fuppliciter petie- D re. Illis ergo in navim reverfis, atque orantibus, refederunt fluctus, ceffaverunt venti, & periculum omne fublatum eft. *Marulus lib.* 3. *c.* 3.

Fantinus Syracufanus Balzanium dominum fugiens iratum ob equos ftrigofiores, quos illi pafcendo commiferat, præmiffa oratione Motabrum flumen virga diviait, & ficcis pedibus tranfiit, iramque perfequentis evafit. *Marulus lib.* 2. *cap.* 2.

Frigidianus Lucanæ Ecclefiæ Epifcopus, fluvium Auferim agros inundantem, ex proprio alveo aliò precibus derivavit.

Joan. Capiftranus Franciscanus, & Jacobus Piceus, ab Nicolao Pont. Rom. ut Germanos, Polonos, & Ungaros ad expeditionem contra Turcas fufcipiendam hortaretur, miffi, cùm Padum traiicere vellent, & à portitore pertinaciffimè repellerentur, qui è fuæ regulæ præfcripto pecunia carerent, quam pro naulo darent, in diffultum fuper undas pallium cum comitibus confedere: & veluti quadam naufragii tabula in ripam alteram non fine avari ftupore portitoris, divina ope utrò translati funt. *Bonfin. lib.* 8. *Dec.* 3. E

☞ *Pete ex Tit. fuperiore.* §. *Tempeftatem compefcere, nonnulla.*

PER AEREM FERRI, EVEHI.

S. Philippus à fpiritu raptus, eunuchum Candacis reginæ convenit, baptizat, rurfufque abreptus evanefcit, & in urbe Azoto deponitur. Sicut ante illum Habacuc Propheta.

Mariam Magdalenam, cùm in folitudine ageret, ftatis diei horis fuprà cœlum ab Angelis evectam tradunt. *Sabellicus lib.* 2. *c.* 6. *Marul. lib.* 3. *c.* 9.

LIBERARE VINCULIS, CARCERIBUS.

D. Benedictus folo intuitu rufticum à Gallo Ariano vinctum folvit. *Greg. Dial. lib.* 2. *c.* 31.

Spyridion Cyprius Epifcopus fures pecudes fibi media nocte furripere volentes, divinaque vi vinctos, manè folvit, multum hortatus, ut juftis laboribus, & non per injuriam, victum quærerent: arieteque donatos dimifit, F feftivo dicto addito: Ne fruftra (inquit) vigilaffe videamini. *Suidas, &* *Simeon Metaphraftes Tom.* 5. *Vitarum Patrum.*

Radegundis, Clotharii Gallorum Regis uxor, precibus liberavit in carcere nexos. *Marul. lib.* 2. *c.* 2.

Henricus Raceburgenfis Comes captos tenebat Phrifios, multis tormentis in eos fæviens. Interceffit pro eis Evermoldus Raceburgenfis Epifcopus, ut laxarentur, nihil profecit. Dies erat folennis Paschæ, cùm captivi in catenis fub cuftodia ftarent in Ecclefia. Circumiens Pontifex, cùm omnes fideles aqua afpergeret, captivorum quoque afpergens catenam, dixit, Dominus folvit compeditos. Mox illa diffilit: illi tacìti abierunt. In facti teftimonium catena fervata fuit. *Crantz. lib.* 5. *Vandaliæ, cap.* 42.

ALIMENTA, COMPARARE, IMPETRARE, CONSERVARE, Corrigere.

Helias Sareptanæ viduæ guttum oleo, cadum farina, per totum famis tempus abundare precibus impetravit.

Helifæus Propheta in Galgalis vates hofpitio excipiens, cùm pulpamentum ex fylveftri cucurbita coquus imperitus G coxiffet, & omnes exclamaffent, Venenum effe in olla: ille farinam afpergi juffit. Qua in ollam conjecta, omne vitium abiit, & illi comederunt fecurè. 4. *Reg.* 4.

A Baalfalifa profectus quidam, Helifæo Prophetæ primitiarum panes hordeaceos viginti, frugefque novas adhuc in glumis attulit: & ille juffit miniftro fuo, ut ea hominibus comedenda apponeret. Cui miniftet: Quid hæc, inquit, centum hominibus apponam? Appone, inquit ille, ut comedant: nam hoc Deus promittit, efui fuperfuturum effe. Tum ille, apponit, cifque cibo fumpto inde fuperfuit, ut prædictum à Deo fuerat. *Ibid.*

Genovepha, virgo Parifienfis, in extructione ædis Dionyfiacæ cadum vino exhauftum crucis figno replevit aliquoties. *Bonfin. lib.* 5. *Dec.* 1.

*Gregorius cap.* 1. *de gloria Confefforum* recitat, fua ætate accidiffe, fibique à viro fide digno relatum: famulum cujufdam viri, potum meftoribus coctum, & præparatum exhauffiffe. Virum autem invocatis Angelis ab eis impetraffe, ut potus ifte relictus, abundè fuis meftoribus tota die hauriendis fufficeret. H

D. Benedictus vas vacuum oleo, oratione plenum reddidit. *Gregorius Dial. lib.* 2. *c.* 9.

Philibertus monachus Resbacenfis, vafculum vini exhauftum benedictione fua replevit. *Vincentius lib.* 23. *cap.* 94. *&* 95.

D. Nicolaus Epifcopus Mirenfis cùm effet publica fames in Lycia Regione audivit appulffe in portum naves frumento onuftas. Adiit ipfe nautas, rogans, ut aliquantum frumenti quifque ex fua navi venderet in fubfidium populi. Quod illi fe non poffe facere affirmabant: nam menfuram frumenti acceptam reddendam effe Cæfaris præfecto in alia quadam urbe. Ille nihilominus inftabat, rogans, ut faceret, quod ab ipfis petceretur. Ecce, inquit, promitto vobis curaturum Deum, quod nullam frumentorum diminutionem fentiet Cæfaris exactor. Dominus enim, qui dixit, Date, & dabitur vobis, efficere poteft, ut propter hoc beneficium nihil decedat frumento. Acquiefcentes nautæ verbis, & perfuafionibus Episcopi



Epifcopi Nicolai, fubvenerunt hominibus fame periclitanti- A bus: & poftea compererunt, eandem menfuram frumentorum beneficio Dei fingulari confervatam effe, & integram adhuc in reddendo miniftris Imperatoris. *Sur. tom.* 6. *die* 6. *Decemb.*

Panis à D. Bernardo benedictus immunis à corruptione fuit, & multo tempore fervari potuit. Sic Æfchillo Danorum Pontifici panem benedictum tradidit hifce verbis: Ecce hunc tolle tecum, nihil deinceps de corruptione folicitus. Henricus, & Gerardus Sveciæ Abbates teftati funt, totis annis undecim apud fe ejufmodi panes fuiffe incorruptos. *Auctor vitæ.*

ALIMENTORUM ABSTINENTIAM FERRE.

☞ *Ex loco de Temperantiæ huc quædam. Illic Effectus, hic Caufa confideratur.*

IMMOBILIA LOCO MOVERE.

Dunftanus Cantuarienfis Archiepifcopus, Ecclefiam dedicaturus, cùm ad Orientem eam non fpectare animadverteret, B humeros parieti admovit: ficque ad Orientem converfa eft. *Vincentius lib.* 24.

Gregorius Ponticus rupem ingentem precibus loco fuo, in fpacium facelli movit. *Ruffinus.*

Bonofus cœnobii in monte Soractis oratione rupem in loco movit. *Greg. lib.* 1. *Dial. c.* 6.

Captiva Chriftiana, apud Iberos, converfo ad fidem Chriftianam fuis miraculis Rege, columnam in templo, quod Rex extruxit, precibus fufpendit. *Ruffinus lib.* 1. *c.* 10. *Socrates lib.* 1. *c.* 20. *&* *Sozom. lib.* 2. *c.* 6.

INANIMATIS MOTUM DARE.

Hieremias propheta, capta, & everfa urbe à Nabuchodonoforo, oraculo admonitus, tabernaculum, & arcam, & aram fuffitoriam fe fequi juffit. 2. *Machab.* 2.

Domitianus Tungrorum Epifcopus X. cùm contra hæreticos in Synodo Aurelianenfi difputaret, terra in tumorem elata fedem ei excitavit: ipfe quinctiam, elevata contra eos manu, omnes excœcavit.

MOTUM IMPEDIRE, SISTERE.

Fantinus Syracufanus cùm Meffanæ à Stradicone præfecto C ad martyrium quæreretur, Angelique monitu fofus navicula afcendens fugeret, & jam propè effet, ut ab infequentibus caperetur, Deum precatus, navem perfequentium immobilem ftare fecit. *Marulus lib.* 2. *c.* 2.

Libertinus Fuldenfis Monafterii præpofitus, tempore Totilæ Regis Gothorum, cùm iter faciens equo dejectus effet ab equitibus Totilæ, Deum oravit, ut auctores puniret. A quo cum exauditus effet, nequivit exercitus Totilæ fluvium Vulturnum tranfire, etiamfi equos calcaribus multùm urgeret, ac fatigaret: donec Libertino equum ablatum reftituiffent. *Greg. lib.* 1. *Dial.*

Vulftanus Vigorniensis Epifcopus lituum lapidi fepulchrali Edoardi Regis tam altè impegit, ut nulla vi removeri potuerit. *Sub Tit. Epifcoporum.*

Otho Bambergenfis Epifcopus fub Henrico IV. Imp. Pomeranorum Apoftolus, docebat in foro. Hortatu Sacerdotis cujufdam pagani, haftas gerentes impetum jamiam facturi in Epifcopum obriguerunt, tanquam ftatuæ. Ille oratione impetravit, ut reftituerentur fanitati. Cùm nucem arborem miræ D pulchritudinis, quam idolo dicatam Stetini venerabantur, juberet fuccidi: loci dominus, à tergo accedens, fecuri bellica caput Epifcopi ferire conabatur. Verùm aberrans, trabem pontis, ad quem ftetit Epifcopus, tetigit tanta vi, ut retrahere inde non poffet. Eum reliqua multitudo trucidaffet, nifi precibus Epifcopi fuiffet liberatus.

CLAUSA APERIRE.

Cùm B. Genovepha virgo audiviffet, Childericum Francorum Regem, cui erat familiariffima, claudi juffiffe portas arcis, ne pro noxiis, de quibus fupplicium fumere ftatuerat, intercedere poffet: ad arcem nihilominus contendit. Ea autem manu portas contrectante, continuò patuere. Ante Regem fic conftituta, præ rei miraculo cunctorum capitalium impunitatem facilè impetravit. *Bonf. lib.* 5. *Dec.* 2.

SERVARE AB INTERITU.

Pharao, Meldenfis Epifcopus, orationc navem fubmerfam cum omnibus, qui in ea fuerant, fervavit. *Marul. lib.* 2. *c.* 2.

Germanus Antifiodorenfis Epifcopus, in Britanniam contendens ad extirpandas hæreses, navem, in qua erat, peritu- E ram fervavit. *Ibid.*

MIRACULA MAGICA.

*Quod de Divinis diximus, idem de Dæmoniacis miraculis intelligendum: duum fcilicet effe generum. In aliis namque immediatè Dæmon vim fuam exerit. In aliis verò per homines impios, fibique devotos, quos generali nomine Magos appellamus: quorum mentionem facimus hîc ratione Operationis. Nempè quod de Pyramidibus Ægyptiis Plinius, multò verius de iis dicatur. Magna effe ftultorum fpectatorum, ut fceleratorum auctorum miracula: Senfuum dementationes, fafcinationes, præftigias. Id quod ex Moyfis, & Pharaonis magorum certaminibus facilè eft colligere. Nos fyntaxim noftram perfequamur.*

IN GENERE.

Empedocles *Agrigentinus magus* de feipfo hæc fcribit:

*Medicamenta quæ, & mala, & fenectutem propulfant,*
*Audies: tibi enim foli ego ifta omnia conficiam,*
*Et fedabis indefefforum ventorum vires, qui in terram*
*Ruentes flatibus rura corrumpunt.* F
*Et viciffim, fi voles reduces ventos adduces,*
*Et efficies ex imbre nigro tempeftivam ficcitatem*
*Hominibus, & efficies ex æftiva ficcitate*
*Flumina fœcunda, quæque in æftate fpirant.*
*Et reduces ex Orco defuncti animam viri.* Suidas.

De Apollonii Tyanæi magicis miraculis Anaftafius Theopolis Epifcopus ita fcribit: Quibufdam in locis ad hunc ufque diem Apollonii opera ftant, & fuam habent efficacitatem: alia quadrupedibus, ac volucribus damnofis avertendis, alia ad inordinatos animum excurfus inhibendos, alia aliis rebus, quæ hominibus detrimentum afferrent, arcendis. Neque eo tantùm vivo dæmones per ipfum tot, ac talia egerunt, fed ipfo etiam mortuo ad monumentum ejus perfeveraverunt, atque ipfius nomine miracula quædam ediderunt, ad decipiendum miferos homines, qui facilè hujufmodi rebus fe à diabolo in fraudem induci patiuntur. Quid enim dicam de Manethonis magicis operibus? qui tantus fuit iftarum impofturarum artifex, ut femper palàm Apollonium irrifcerit, ut non perfecta ejus doctrinæ peritia inftructum. Oportebat enim (ajebat) eum, ficuti ego foleo, folis verbis perficere, quæ vellet, non operum affectionibus ad ea uti. *Cedrenus in Hift. compendio.* G

Fuit Judæus Magus nomine Sedechias, qui (ut narrat Abbas Trithemius) emittebat hominem in aera, membra difcerpebat, eaque recollecta adunabat: currum etiam onuftum fœno, cum equis, & agitatore, coram toto populo abforbebat.

PRÆDICERE FUTURA.

☞ *Confule Titulos Prædictionum, quatenus magica fiunt virtute.*

Cùm peterent Antiocheni ab Apollonio Tyanæo, ut terræmotus, quibus affligebantur, averteret: ingemifcens, in tabulis ita fcripfit: Væ tibi, mifera urbs, quoniam terræmotibus multis, incendiifque profterneris, teque Orontes ad ripas fuas deflebit. *Cedrenus.*

Uladislaus Lucenfis princeps, Neclan patruelem fuum reliquæ Boemiæ ducem regno pellere cogitabat: & ingenti exercitu comparato, victoriam jam fpe devoraverat. At Saga mulier, quam in oppido fuo habebat, privignum fuum clàm fubmonuit, ut fi domum ex prælio cruen- H to, & infaufto fuperftes reverti cuperet, cum, qui primus hoftium fibi occurriffet, gladio transfoderet, atque utramque ejus auriculam amputaret, fecumque celeri curfu domum repetens, ad uxorem fuam referret. Habuit tunc & Neclan in exercitu fuo Sagam quoque fuam, quæ afello diis ad fontem immolato, fecunda omnia, & profpera divinabat. Commiffo prælio, Uladislaus cum Syderio Chaynovienfe equite, quem Neclan fummæ rerum præfecerat, egreffus, cecidit. Cujus cæde tanta repentè confternatio equos pariter, atque homines Lucenfes inceffit, ut nec ultrà progredi, nec retrò pedem referre poffent: à faga, fuo quifque loco ne profugerent, miro ftupore injecto, affixi. Extra unum privignum, qui domum reverfus, non hoftem, ut opinabatur, fed uxorem fuam gladio confoffam, & auribus truncam reperit, feroque tandem agnovit, à noverca nurui infefta, hanc cædem fuiffe procuratam: fiquidem auriculæ illæ, quas fecum retulit,